LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF ILLINOIS

QUAESTIONES GRAMMATICAE AMMIANEAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

UNA CUM THESIBUS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIX. DECEMBRIS A. MDCCCLXVIII

HORA XI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HERMANNUS KALLENBERG

THURINGUS.

ADVERSARIORUM PARTES AGENT:

H. ZSCHAU, STUD. PHIL.

O. GOETZE, STUD. PHIL.

HALAE

FORMIS PLOETZIANIS.

PATRI OPTIMO

PII GRATIQUE ANIMI

MONUMENTUM.

Ars rerum gestarum scribendarum cum apud Romanos artissime cum institutionibus rei publicae liberae coniuncta esset, saeculo primo p. Ch. n. peracto fieri non potuit, quin celeriter depravaretur. Quis enim scriptor rerum gestarum Tacito defuncto exstitit, qui hoc nomine dignus fuisset, immo quis ab excessu Augusti usque ad Taciti aetatem? Quo magis iuvat, tempore quod iam fere ad aetatem mediam accedit, scriptorem exstitisse, qui sibi conscius esset, quo modo historia tractanda esset: Ammianum Marcellinum dico. Quamvis autem tanti aestimandus sit, tamen aliis in rebus vix scriptoribus antiquittatis attribui potest. Nam stilo et rebus grammaticis magis discedit a genere dicendi non solum aureae aetatis, sed etiam posteriorum temporum, quam vix alius. Sed tamen de elocutione ipsa Ammiani, quamvis valde depravata, et de causis huius depravationis disserere in rem est; praesertim cum apud nonnulla, quae omnibus regulis neglectis temere dicta esse videntur, tamen si rem accuratius spectas certae regulae reperiri possint. Cum igitur mihi in mentem venisset de ratione dicendi Ammiani nonnulla scribere, optimum ratus, non ex omnibus partibus quasi excerpta quaedam afferre, sed de una parte accurate disserere, cum ad totam materiam et stili et grammaticae tempus viresque deficiant, primum paucis de stilo et causis quibus ortus sit, disseram, deinde res grammaticas quo modo tam valde perturbatae sint, explicabo nonnullisque exemplis hanc perturbationem ostendam, denique de usu infinitivi accurate scribam.

Pars I.

De stilo Ammiani Marcellini.

Constitutionibus Constantini Magni singulae partes quidem rei publicae antea paene dissolutae artissime coniunctae erant, ut res publica per aliquod tempus impetui gentium

barbararum obsistere posset, sed simul ex hac re res malae „aulae Byzantinae“ initium duxerunt. Quamvis enim etiam prius saepe ex voluntate assentatorum similiumque hominum res administratae essent, tamen nunc res eo deducta erat, ut imperator a ministris suis aliisque hominibus qui in aula versabantur, circumdatus paene nihil ex voluntate sua facere posset. Quae cum ita essent, re ipsa apparet, quanta ad facinora committenda imperator ab adulatoribus perduci potuerit, praesertim cum principes, ut Constantius, ambitione et vanitate pleni, a talibus hominibus facile pellicerentur. Ita Ammianus XV, 2, 1 Constanti indolem eximie describit his verbis: „Hac superabatur (sc. Ursicinus) difficultate, quod ad suspiciendas defensiones aequas et probabiles Imperatoris aures occlusae, patebant susurris insidiantium clandestinis.“ Inter haec mores hominum magis magisque efferabantur, id quod Ammianus ipse egregie describit: studiis liberalium artium obliteratis multitudo magno cum studio ad leves res se contulit. Vide XIV 6, 18: „paucae domus studiorum seriis cultibus antea celebratae nunc ludibriis ignaviae torpentis exundant, vocali sono, perflabili tinnitu fidium resultantes etc.“ Consentaneum est, res tractandas ad genus dicendi magni momenti esse. Cum autem tales malae condiciones pro ingenio moribusque animos diverse permoveant, hic paucis quidem Ammiani mores spectandi sint. Ammianum veri amantissimum, ab omni invidia aut odio aut adulatione alienum ubique sibi conscium esse, quo modo historia tractanda sit, ex omnibus libris eius intellegi potest. Haec virtus autem quae in tranquillis rebus reipublicae bene constitutae non tam probitati animi, quam ingenio historici tribuenda est, illis turbulentis temporibus clarissimum incorrupti animi testimonium perhibet. Adice quo modo de moribus Romanorum disserat. Simplicem, vitiis aetatis suae incorruptum animum, ut exemplo utar, haec verba perspicue ostendunt (XIV, 6, 20): „quocunque oculos flexeris, feminas affatim multas spectare cirratas quibus, si nupsissent, per aetatem ter iam nixus poterat suppetere liberorum, adusque taedium pedibus pavimenta tergentes, iactari volubilibus gyris, dum exprimunt innumera simulacra, quae finxere fabulae theatrales.“ Apparet scriptorem huius ingenii res gestas illius aetatis simplici et tenui sermone narrare non posse, sed

quodam modo cogi sublimi dicendi genere uti. A contemplantibus nobis scriptores temporum, quibus Roma principibus parebat, Tacitus solus hac in re cum Ammiano comparari potest. Sed quamvis natura moribusque hi duo similes se praebeant, quantum ratione dicendi distant? Cum Tacitus nimia brevitate utatur, ut saepe obscurus fiat, Ammianus plane diffuseque fluit: cum ille poetis imitandis sermonem suum singulari colore afficiat, qui animum a vulgaribus rebus retrahens quodam modo ad altum evehit, hic etiam poetarum sententias et verba saepe adhibens tumidus fit et „quasi cothurnatus incedit." Haec diversitas cum tanto intervallo temporum tum diverso gradu institutionis et doctrinarum animorum utriusque orta est. Ammianus enim, homo Graecus natus, per multos annos stipendia meritus in litteras aetate iam provectus incubuisse videtur. Nam praeter quam quod iam ex multis stipendiis factis hoc colligi potest, msxime hac re apparet, quod „famam doctrinae affectat" (vide Henr. Val. praef.): id quod maxime in talibus viris spectari potest qui nondum diu litteris imbuti sunt. Haec res etiam multis allatis locis veterum scriptorum intellegi potest. Nam illos locos magis attulisse videtur, ut doctrinam suam ostendat, quam ut aliquid accuratius explicet. Ex his dictis igitur apparet, Ammianum litterarum imperitum quidem non esse, sed nondum satis diu in his versatum esse, ut fructum ex his percipere posset.

Quamvis enim Ammianum libris optimorum scriptorum diligentissime studuisse ex multis locis allatis intellegi possit, tamen dictionem Tulli, cuius dicta tam saepe admiratur, imitari non potest. Cum autem natura sua et rebus tractandis ad sublime dicendi genus adhibendum perduceretur, ei non erat iudicium, quo inter hoc dicendi genus et tumidam dictionem discrimen facere potuisset. Huc accedit, ut aetas Ammiani omnino ad tumidam dictionem inclinet. Sed praeter aetatem etiam alia res eum ut hoc genere dicendi uteretur, permovit. Ex epistola enim Libani, amici Ammiani, apparet, eum Romae historias suas recitasse. Scribit enim: „*νῦν δ' ὡς ἔστιν ἀκούειν τῶν ἐκεῖθεν ἀφικνουμένων, αὐτὸς ἡμῖν ἐν ἐπιδείξεσι ταῖς μὲν γέγονας ταῖς δὲ ἔσῃ, τῆς συγγραφῆς εἰς πολλὰ τετμημένης, καὶ τοῦ φανέντος ἐπαινεθέντος μέρος ἕτερον εἰσκαλοῦντος. ἀκούω δὲ τὴν Ῥώμην αὐτὴν στεφανοῦν σοι τὸν*

πόνον καὶ κεῖσθαι ψῆφον αὐτῇ τῶν μένσε κε κρατηκέναι, τῶν δὲ οὐχ ἡττῆσθαι etc. Historiae Ammiani igitur ad ostentationem scriptae sunt: qua de causa ille color magis rhetori quam historico scriptori congruens, intellegitur: qua de causa loco simplicium verborum multas hyperbolas ex sermone poetico sumptas adhibet. Hoc modo igitur compluribus causis haec tumidissima dictio orta est. Huius unius rei modo rationem habui, quod omnes aliae, ut verbositas, si illam opponas, parvi momenti sunt, causasque, quibus tale dicendi genus ortum est, explicare conatus sum, quod revera apud scriptorem, qui historici muneribus plane fungitur, explicari necesse est, quomodo perductus sit, ut saepe res cotidianas et vulgares phrasibus Aeschyleis narraret. Venimus nunc ad res grammaticas.

Pars II.

De rebus grammaticis Ammiani.

Non solum stilo, sed etiam constructionibus grammaticis verborumque usu singulae aetatis linguae latinae inter se discrepant. Aetate quae argentea nominatur, primum poetis et Graecis imitandis liberior consuetudo scribendi orta est, qua re accurata quidem ratio dicendi Ciceronis aetate usitata neglegebatur, sed tamen oblectatio quaedam praebetur. Sed cum iam Ciceronis aetate sermo in litteris usitatus cum consuetudine dicendi populi non congrueret, primo saeculo p. Chr. n. ille sermo multo magis a sermone cotidiano discrepabat. Itaque consentaneum est, ubi eruditio doctrinaeque evanuerint, simul talis linguae efferationem maiorem esse quam linguae cum consuetudine populi artissime cohaerentis. Hoc posterioribus temporibus evenit. Tum enim lingua quae in litteris universe adhiberetur, non erat, sed singuli alio alium veterem scriptorem imitante propriam dicendi rationem adhibebant. Qua de re factum est, ut nonnulli, ut Claudius Claudianus, elocutionem praebeant, quae a consuetudine scribendi aureae aetatis non multum distat, alii ut Ammianus ipse tam permixtam perturbatamque elocutionem adhibeant. Mox igitur evenit, ut nonnulli veterum auctoritatis ratione non habita sermonem cotidianum et vulgarem, quin

etiam linguam in provinciis usitatam adhiberent. Cuius rei scriptores Historiae Augustae maxime auctores sunt. Ammiano Marcellino igitur, qui vix puerili aetate peracta in castris versari coepit, occasio non data est linguae latinae accurate discendae. Itáque sermo plebis et castrensis semper apud eius dictionem multum valuit. Quae res non solum in copia verborum intellegi potest sed etiam in constructionibus, quae saepe iam fere ad linguas Romanas accedunt. Praecipue autem hanc rem eo legentes aegre ferunt, quod in tam sublimi dictione haec inveniuntur, quae tam longe ab elegantia distant. Haec nonnullis exemplis demonstrabo. Hadr. Valesius iam nonnulla huius generis affert (vide edit Wagn. praef. p. 51 f.) Ita Adiectiva: „saevis, limis, infirmis"; deinde dativi: „aliae, uno"; perfecta „pulsi", perculsi, verbum „fodiendi" declinationes quartae coniugationis asciscens" quorum similia iam apud Plautum reperiuntur. Lingua cum usu scribendi firmiorem et constantiorem formam accepisset, hae vacillationes magna ex parte manere non potuerunt. In sermone plebis autem haec semper exstiterunt, qua de causa consentaneum est, apud tales scriptores, quorum elocutio ab eo non multum abest, haec inveniri. Multi etiam comparativi aut superlativi apud Ammianum exstant, qui apud alios scriptores raro aut nunquam adhibentur. Satis est, hic unum exemplum afferre: superlativus piissimus a Cicerone tam valde vituperatus, apud Ammianum persaepe legitur. Idem dicendum est de adverbiis et multis novis derivationibus nominum aut verborum. Romanos deminutivis, frequentativis similibus verbis libenter usos esse, ex Plauti comoediis satis apparet. Sed haec consuetudo dicendi nonnullis exceptis quae iam quasi inveterata erant, in litteris evanuit. Itaque multa exempla huius generis maxime apud eos scriptores reperiuntur, qui veterrimos scriptores imitantur aut ex sermone plebis multa asciscunt. Ita praecipue Apulei dictio talibus verbis abundat. Ammianus igitur persaepe frequentativis utitur, quae partim apud alios scriptores non exstant, partim apud eum vi propria neglecta idem significant quod verba, a quibus derivata sunt. Huius generis sunt: „dictito, scriptito, factito, victito, vastito, vocito." Ut

hunc usum exemplo demonstrem, legitur XXIII. 6, 20: „Intra hunc circuitum Adiabena est, Assyria priscis temporibus vocitata.“ Hic verbo frequentativo nullo modo alia vis tribuenda est quam verbo vocandi aut appellandi.

Praecipue autem nonnulla afferenda sunt, quae ad syntaxin pertinent. His rebus enim Ammianus fere iam ad linguas Romanas accedit. Primum usus particulae quod afferendus est. Sed de hoc postea accuratius dicendum est. Deinde Ablativus Gerundii persaepe adhibitur non ut instrumentum exprimatur, sed ut significet, aliquid eodem tempore fieri. quo aliud. Confer de hac re Haase ad Reisig adnot 596, Ita XIV. 5, 7 legitur: „Consularem Syriae Theophilum prope astantem ultima metuenti multitudini dedit, assidue replicando“ etc. XVII. 1, 7 miles rapiebat nulli parcendo“. Notum est hunc usum in linguam Italicam transisse.

Porro persaepe praepositiones adhibitae sunt, quibus locis scriptores alii casu solo usi essent: id quod etiam iam ad linguas Romanas traducit. Praecipue praepositio „per“ adhibita est ad significandum instrumentum, quo aliquid fit.

Sed fortasse in diiudicanda ratione dicendi Ammiani maioris momenti sunt Graecismi quam sermo plebeius Praecipue ex usu modorum intellegi potest, Ammianum latine quidem dicere, sed Graeco modo cogitare. Usum modorum in indirecta oratione positorum posterius accuratius tractabimus. Nunc nonnulla de usu modorum coniunctiones sequentium afferam. In usu modorum in indirecta oratione adhibitorum facile intellegetur, quam accurate in nonnullis rebus regulas linguae Graecae sequatur. Hic autem neque regulae Graecae linguae cognosci possunt, neque regularum linguae latinae accurate ratio est habita, sed in usu et modorum et temporum vacillationes quam maximae spectantur. Ita coniunctionem „dum“ sequitur indicativus praesentis, imperfecti (XVII. 3, 1) perfecti, coniunctivus imperfecti (XIV. 10, 1; XV. 5, 16 et multis aliis locis). Item coniunctio „ubi“ indicativum perfecti et imperfecti, quin etiam coniunctivum, ut XIV. 2, 7, asciscit. Coniunctio „cum“ denique etiam fere omnibus modis construitur XVI. 12, 20: „Quos cum iam prope densantes semet in cuneos nostrorum conspexere ductores.“ XVI. 12, 20 „cum proelio fatigabatur ardenti“; et

utroque modo construitur XIV. 2, 13: „cum nec quidquam geri posset, nec procedebat ullum obsidionale commentum. Porro coniunctio „licet" magna ex parte indicativo construitur XV. 7, 1; 10, 8 XVI. 10, 11. Particula „quamquam" cum coniunctivo constructa et „quamvis" cum indicativo multis locis inveniuntur. Sed iam Tacitus hoc modo constanter dicit. — Contra aliis locis coniunctivus adhibitus est; quibus lingua latina indicativum postulat. XIX. 1, 2 „cum primum aurora fulgeret." Deinde relativa „quicunque" et similia persaepe coniunctivus sequitur. XVI. 10, 8 „quocunque artus necessitas commovisset." Confer XVI. 12, 51 XXIII. 4, 5; 6, 14, 73 XXIV. 3, 12; 4, 16.

Sed etiam ad usum casuum multifariam lingua Graeca pertinet. Praecipue accusativus, qui Graecus nominatur, saepe invenitur. XV. 13, 1 „prudens alia" XVI. 7, 7 „cum soleant id genus homines latebras captare-" Porro apud Ammianum neutra pluralis adiectivorum loco substantivorum adhibentur simulque cum genetivo coniunguntur. Poetae Augusti aetatis primi hac ratione dicendi usi sunt, quos Tacitus secutus est. Ammianus autem eum hac re superat. XIV. 1, 1 „ausurus hostilia" 1, 2 „eminuit inter humilia" 2, 3 „praerupta letalia." Deinde cum genetivo coniuncta" 2, 20 „avia montium" 6, 4 „tranquillior a vitae 6, 23 „aurigarum praecipua" XXXI. 2, 15 „longa terrarum etc."

Denique consentaneum est, eum phrases Graecas fere ad verbum vertisse. Hic solum unum exemplum affero. XIV. 1, 1: „fortunae saevientis procellae tempestates alias rebus infudere communibus," quo loco τὸ κοινὸν latine redditum est. Confer XXVI. 6, 3 „ad communia regenda evectus." Etiam usus verbi sperandi contemplandus est. Hoc verbum nonnullis locis quidem scriptorum latinorum vim timendi habet, sed tamen multo rarius quam apud Graecos. Apud Ammianum vis timendi persaepe invenitur. Ita XIV. 7, 5 XV. 6, 1 XVI. 8, 10. Sed ad planius disserendum hic non est locus.

Postquam omnino de stilo Ammiani pauca attuli, deinde nonnullis exemplis demonstravi, quam permixta perturbataque eius dictio sit, nunc ad usum infinitivi accuratius explicandum transeo, ut id quod supra paucis ex omni materia electis exem-

plis demonstratum est, una modo parte tractanda planius exponi possit.

Pars III.

De usu infinitivi apud Ammianum Marcellinum.

Iam supra duae res expositae sunt, quae praecipue in Ammiani dictione spectandae sunt; Graecismi et sermo plebeius. Quarum etiam in infinitivo tractando maxime ratio habenda est. Sermonis plebei auctores praecipue esse Petronium, Vitruvium, scriptores Historiae Augustae Bernhardyus in historia litterarum affirmat; quorum scriptores H. A. maxime idonei videntur qui comparentur, et aetate et rebus tractatis. Simul magis in rem est, posteriorem scriptorem eligere, quod eo apparet, liberiorem usum infinitivi scriptorum argenteae aetatis non diu valuisse. Quod si Ammianus infinitivi liberioris usu Tacitum ipsum superat, quem scriptorum prosae orationis maxime eum usurpasse constat, id non aetati eius tribuendum, sed e Graecismis ortum esse apparet. De Graecismis igitur omnino confitendum est, Ammianum infinitivo plane abhorrente a natura et consuetudine linguae Romanae perraro uti, sed ubicunque eium liberius adhibeat, nonnulla quamvis pauca exempla apud scriptores optimos latinos inveniri. Sed in nonnullis rebus apparebit, Ammianum id quod e natura linguae latinae dici licet, in Graecorum morem dicendi mutasse. Simul autem id non est neglegendum, quod apud Ammianum non exstat cum linguae latinae quidem naturae suo iure respondeat, sed non Graecae. Universe autem de infinitivo dicere longum est; itaque infinitivum contemplabor, quatenus praeter hunc etiam aliae constructiones ex usu linguae latinae aut Ammiani adhiberi possunt.

Primum igitur disseram de verbis quae infinitivus sequitur, deinde de substantivis cum verbis coniunctis, denique de adiectivis et cum verbo substantivo coniunctis et absolute positis. Ubique infinitivus liberius positus est, quam apud alium scriptorem, excepto infinitivo ex adiectivis pendente. Infinitivum enim cum adiectivo solo Ammianus perraro coniungit, quamvis apud Graecos et poetas Augusti aetatis hoc usitatissimum sit.

A. Infinitivus qui verba sequitur.

Cum id potissimum contemplemur, qua ratione infinitivus praeter alias structuras adhibeatur, omissis verbis quae nihil sequitur nisi infinitivus et omnino in lingua latina et apud Ammianum, aptissimum mihi videtur verba dividi in verba sentiendi declarandique et auxiliaria eisque similia et causativa. Nam verba sentiendi declarandique accusativus cum infinitivo aut particula „quod“ sequitur, verba auxiliaria infinitivus solus aut particula finalis, verba causativa particula finalis aut accusativus cum infinitivo similesque constructiones Verba auxiliaria autem non solum ea quae *κατ᾽ ἐξοχὴν* nominantur, intellegi volo, sed omnia quae vim aut voluntatis aut facultatis aut necessitatis habentia ita in oratione adhibentur, ut ea pars enunciationis, quae obiectum voluntatis cet. exprimit, idem subiectum habeat quod verbum regens et actionem huius subiecti solam indicet. Deinde de verbis impersonalibus, quamvis etiam in haec genera referri possint, separatim disseram.

I. Verba sentiendi et declarandi.

Ut apud verba caustiva particulae finales et infinitivus iuxta adhibentur, ita apud verba sent. et decl. particula „quod“ praeter infininitivum usurpatur. De usu particulae „quod“ a viris doctis priorum temporum ab alio alia, multa allata sunt, quae Reisig: (Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft) p. 598 paucis comprehendit. Omnino nunc sententia valet, „quod“ pro acc. c. inf. loco meri obiecti apud verba actionem animi significantia a scriptoribus aureae aetatis non adhibitum esse. Quibus locis particula „quod“ hoc modo adhibita legitur, ii correcti sunt. Vide Madwig opusc. II p. 232. Nonnulli loci autem antiquiorum scriptorum removeri non possunt. Ita Plaut. Asin. V, 52: „equidem scio iam filius quod amet“ Nam quo modo hic „quod“ vim causalem habere possit, ut Holtzius in synt. prisc. script. lat. vol. I. p. 272 affirmat, equidem non intellego. Quo modo autem hic usus explicandus est? Omnes linguas stirpis Indo-Germanicae contemplantibus nobis mirandum est, hanc rationem dicendi, quae omnibus in his linguis ubique adhibeatur, in lingua latina certis terminis circumscriptam esse. Quamvis discrimen usus particulae „quod“

et acc. c. inf. a viris doctis factum multis locis subtilius mihi videatur, tamen negari non potest, hoc discrimen Ciceronis aetate et iam prius exstitisse. Sed natura huius discriminis ipsius demonstrat, id a principio in lingua non exstitisse, cum artificiosius sit quam ut antiquae simplici linguae respondere possit. Itaque mihi persuasum est, usum particulae „quod“ loco meri obiecti pro acc. c. inf. non tam a natura sermonis latini alienum esse, quam paullatim in scribendo usu accusativi c. inf. remotum Ciceronis aetate ut multa alia quae apud antiquiores scriptores leguntur, plane vitatum esse, ut dictio elegans fieret et a sermone vulgari quam maxime discederet. Qua de re non mirum est, quo minus scriptor eleganti accurataeque dictioni studeat, eo saepius apud eum „quod“ hoc modo usurpatum inveniri. Jam scriptor belli Hispaniensis c. 36 dicit: „nuntiaverunt quod haberent.“ Sequentibus saeculis apud nonnullos scriptores hic usus dicendi usurpatus est, sed nunquam saepe (vide Zumpt. Gramm § 629, Madw. opusc. II p. 232). Sed si verum est, quod supra diximus, hanc dicendi rationem a natura linguae latinae non alienam esse, sed solum e litteris expulsam intra terminos sermonis cotidiani et vulgaris coercitam esse, per se existimandum est, illa aetate qua et rebus publicis societatisque civilis Romanae plane dirutis et litteris Romanis paene mortuis scriptores exstiterunt, qui sermone in scribendo antea usitato non utebantur, cum aut studio veteris elegantis dictionis imitandae non traherentur aut eam imitari non possent, illam rationem dicendi rursum in litteris, in lucem prodisse. Quae opinio rebus confirmatur. Scriptores Historiae Augustae enim qui in verbis rusticis et in compositione verborum tam multa a consuetudine scribendi aliorum eruditiorum scriptorum abhorrentia praebent, etiam particula „quod“ persaepe loco acc. c. inf. utuntur. Sed priusquam ad usum horum scriptorum illustrandum accedimus, nonnulla alia non sunt praetermittenda.

Jam Ciceronis aetate libenter pronomen demonstrativum „hoc“ „illud“ „id“ adiectum est, si verba sequentia cum „quod“ coniuncta locum subiecti tenebant, ut ratio utriusque partis enunciationis melius conspiceretur. Cum autem consuetudo scribendi remissior fieret et illa elegans dictio aureae aetatis non observaretur, hoc pronomen per se supervacuum

et solum sententiam sequentem breviter significans, pellexit, ut nonnunquam „quod" loco obiecti poneretur. Ita quodam modo inter usum scribendi et cotidianam rationem dicendi coniunctio facta est. Nam hunc usum dicendi posteriorum scriptorum his pronominibus solis non ortum esse neque a natura sermonis latini abhorrere, ea re apparet, quod cum iam apud antiquiores scriptores hic usus exstat, tum apud illos scriptores, qui primi excepto forsitan Apuleio, cuius in dictione diiudicanda aliae rationes spectandae sunt, hoc modo dicendi latius diffusiusque utuntur simulque ad plebeiam dictionem prope accedunt, apud scriptores H. A., haec pronomina plerumque omissa sunt. Praeterea quo modo hic usus in omnes linguas romanas transire potuit? Nam, ut nonnulli putant, per scriptores ecclesiasticos, qui Graeco „ὅτι" accurate transvertendo persaepe „quod" adhibuerint, hunc usum ita diffusum esse, ut in illas linguas transiret, ut putem adduci non possum. Contra illi scriptores Graecum „ὅτι" particula „quod" ad verbum transvertere non potuissent, nisi hic usus in lingua latina ipsa exstitisset. Id solum opponi potest, „quod" tam raro in scriptoribus veteribus inveniri. Sed ex hac re id solum sequitur, ut iam pristino tempore Romani discrimen inter usum particulae „quod" et acc. c. inf. in scribendo fecerint. Hoc discrimen autem non e natura linguae ipsius ortum sermo plebeius non observabat. Sed transeamus ad usum particulae „quod" scriptorum H. A. contemplandum. Exempla in quibus „quod" locum meri obiecti tenet, sunt haec: Hadr. 21 cum scripsisset quod vellet. Avid. Cass. 9. cum dicat quod sumpsisset. Sever. 1 ignorans quod non liceret. Item: assero quod, Aurel. 2. andio: Valer. 1 causor: Sev. 7 comperio: Gallien 17 credo: Macrin. 3. existimo: Diadum. 1. ignoro: Heliog. 21. Gord. 22. iungo: Had. 11. Sev. 35 puto: Maxim. 17. reclamo: Heliog. 31. Firm. 2. spero: Macrin. 5. trig. c. 15. suspicor: Macr. 14 certus: Ant. Phil. 18.

Omnibus his locis coniunctivus particulam „quod" sequitur, id quod naturae latini sermonis congruum habendum est. In sequentibus exemplis verba sunt etiam verba declarandi et sentiendi, sed enunciatio particula „quod" constructa locum subiecti tenet, cum verbum aut impersonale sit aut tertia persona passivi exprimatur: Gallien. 2: comperto quod veniret.

Gall. 3. cognito quod occisus esset. Item cognito quod Prob. 10. constat: Pesc. Nig. 12. dico: Maximin. 9. fingo: Pert. 4. Jul. 8 probo: Alex. Sev. 17. scio: Maxim. 10. videtur: Ael. Ver. 6. Ver. Imp. 9. Heliog. 21.

Quibus adiungi possunt alia exempla, in quibus „quod" aliquid antecedens accuratius exprimit. Gallien 17: comperit de Valeriano quod captus esset. Pesc. Nig. 9: de hoc dixerunt quod venturus esset. trig. c. 6: a multis multa sunt dicta de hoc quod. Avid. Cass. 9.: Verus mihi de Avidio verum scripserat quod caperet. trig. c. 3 de quo spero quod gratias agetis.

Denique substantiva cum verbis coniuncta „quod" sequitur in his exemplis: opinionem refello Had. 7. vox: Ant. Pi. 8. sermo Ant. Phil. 15. 23. Ver. Imp. 10. fama: Ant. Phil. 23. rumor: Ver. Imp 10 nota est fabula: Ver. Imp. 11. omen accessit: Albin. 5. fabella: Carac. 8. trepidatio: Sev. 6.

Quorum exemplorum haec indicativo constructa sunt: Pesc. Nig. 12: apud omnes constat. Macr. 10: sciendum est quod. Ver. Imp 11: nota est fabula. Albin. 5: omen accessit. Maxime inusitatum videri potest trig. 3: de quo spero quod gratias agetis" cum hic indicativus futuri usurpatus sit. Omnino autem affirmandum est, etiam apud hos scriptores deterioris notae „quod" post verba sent. et decl. loco meri obiecti positum neque quidquam antecedens accuratius explicans ubique coniunctivum postulare.

Nonnullis locis alii scriptores prioris aetatis „quod" hoc modo adhibitum cum indicativo coniungunt, sed perraro. Ita Petronius, de quo vide Studer in Museo Rhenano II p. 77-91. Petronius autem, quibus locis plebeiam dictionem usurpat, dialectum Campaniae describit, quae multis graecismis affecta est.

His praemissis nunc videamus, qua ratione Ammianus particula „quod" loco acc. c. inf. utatur. Cum „quod" apud latinos scriptores quidem adhiberi possit, sed non nisi servata natura linguae latinae, quae coniunctivum postulat, Ammianus, ut Graecus homo particula eodum modo utitur, quo Graeci „ὅτι". Nam apud Ammianum indicativus et coniunctivus exstant. Quin si rem accuratius investigaris, usus dicendi Ammiani hac in re multo proprius ad morem Graecorum accedit. Ut enim Graeci particulas „ὅτι" et „ὡς" prae-

senti·tempore aut futuro antecedente fere semper cum indicativo coniungunt, tempore praeterito cum indicativo et coniunctivo, quin etiam cum utroque modo, sic etiam ubicunque apud Ammianum „quod“ cum coniunctivo coniunctum exstat, tempus praeteritum antecedit. Pronomina demonstrativa nunc adiunguntur, nunc omittuntur. Contemplemur nunc exempla.

a. Quod cum indicativo coniunctum.

XXV 4, 3 recolebat saepe Bacchylidem id asserentem, quod pudicitia celsius consurgentem vitam exornat. XXV 3, 15 illud quoque advertens, quod dii quibusdam piissimis mortem tanquam summum praemium persolverunt.

XXIX 4, 1 illud contemplans, quod maius pretium operae forsitan regendis verius milite barbaris quam pellendis.

XXIX 2, 17 Pollentianum convictum confessumque, quod consulere ausus est.

Item: assero quod: XXVII 7, 4 affirmo: XXX 8, 8 cogito: XXI 5, 8 dico: XXIII 6, 21 contineo: XX 9, 6 doceo: XVIII 6, 16 XXII 11, 6 XXXI 9, 1 experior: XXV 3, 16 fingo: XVI 8, 4 ignoro: XXVI 8, 13 XXX 1, 23 memor: XVIII 6, 2 moneo: XXII 8, 37 obliviscor XXX 8, 2 praetendo XXII 3, 8 protendo: XXIII 5, 11 recordor: XVI 12, 15 refero: XVI 9, 4 XIX 12, 10 scio: XXV 3, 18 XXX 8, 8 strepo: XVII 4, 12 XXVI 1, 1 reputo: XVI 5, 1 XXIX 2, 12 XIV 10, 14 XV 1, 4 XXVII 6, 7.

Maxime autem a natura linguae latinae aliena sunt haec exempla in quibus indicativus futuri adhibitus est.

XX 8, 10: mecum ipse contestans, quod alter confosso me declarabitur princeps.

XXI 6, 2: mementote quod, si quid admisit huius modi, sub ostentibus meis punietur.

XXIV 7, 5: cum monstraret perspicua veritas, quod ad aquas redire non poterit miles.

XXX 1, 22 pollicitum quod Pyrrhum necabit. Item XXIX 3, 7.

XVII 5, 8 id sane pronuntio quod tecum non diutius habitabo.

XIV 7, 11 sciens quod si cessaveris, aufferri iubebo annonas; item XV 5, 7 XX 2, 4 XXIII 5, 21.

XV 5, 6: Mellobaude spondente, quod remeabit; item XXI 13, 15.

XIX 11, 7 id sine modo strepentium, quod tirocinia cogere poterit.

XIV 7, 5 assidue replicando, quod nullus egere poterit victu.

Subiectum est enunciatio particula „quod“ constructa inter alios his locis: illo contemplato quod: XXIII 5, 11 cognito: XXV 10, 6 sufficiet dici quod: XXI 1, 13. XXIII 6. 74 XXVII 8, 5: illuc dubitatur quod: XIV 6, 21 fertur: XXIII 6, 24. fatendum est: XXVIII 4, 21 relatum est: XXV 2, 7.

Aliis locis usus particulae „quod“ proprius ad consuetudinem aliorum scriptorum accedit: Ita XX 5, 5: id sane nec praetermitti est aequum nec taceri quod superastis; praetereo quod: XXIX 3, 9 XXXI 14, 8.

Sequentibus locis enunciatio particula „quod“ constructa explicatio antecedentis verbi habenda est XXIX 15, 24: Tullianum illud advertens quod XXXI 5, 7: producturo conscientiam meam, quod nihil aggrediar aut tentabo XIV 10, 12: id verum inveniet quod. XXVI 7, 9: hanc polliciti pertinaciam quod eum suis armis defensabunt XXVII: aliud audiebatur horrendum quod. XXX 5, 12 alio in eum perniciose composito quod XIV 6, 16: transire illuc. XIV 11, 10: subsero exemplum.

His adici possunt haec:

XIX 9, 5: accepta fide quod sequetur.
XIV 11, 6: spe tamen quod eum lenire poterat.
XX 7, 9 suspicio perstrinxit, quod docuerat.
XXX 5, 17: ut omen colligeret, quod remeabit.
XXII, 15, 7: opinio est celebrior alia quod intumescit. XXXI 3, 8: fama serpente quod inusitatum hominum genus corrumpit.

Alia exempla ut XXI 16, 7 XVI 10, 12 explicanda sunt ut usus particulae, „quod“ in epistolis usurpatus.

Postremo ut totam materiam proponamus, verba addendi similiaque adiungimus.

„accedit“ nunquam particula „ut“ construitur „quod“ sequitur in his exemplis: XIV 6, 15; 7, 8 XX 3, 1, 8, 8 XXIV

2,12; 4,11; 7,8; 8,3 XXVII 2,10; 7,8; 12,9. XXVIII 6,22 XXIX 2,14
addicio quod: XXII 9,1; addo: XIV 7,12 XXX 1,17; 6,2.

b. Quod cum coniunctivo coniunctum.

Assero: XXX 4, 2 confiteor: XXI 14, 2 colligo: XXVII 1,12 credo: XIX 1, 4 prodo: XXVIII 1, 19 perfero XXX 2, 4 refero XXVIII 6,19;
XXII 6, 3 pollicitus quod ipse quoque protinus veniret XIV 11, 11: saepius replicando quod eum videre frater cuperet patruelis.

Addo quod: XXII 2,1 XXIX 2,9; 6,3
adicio XXV 4, 2: loquor hactenus XIV 11, 22 accepta fide XX 7,7 rumoribus percitus: XXIV 8,6 firmata spe venturorum quod susciperetur XXI 10, 2. mox autem audito quod staret XIX 11, 13: illo adiecto quod deferretur XXV 10,16.

Aliis locis ut XX 9, 9; 4, 8; 8,22 coniunctivus ex sententia conditionali ortus est.

Omnibus his locis coniunctivus cum particula „quod" coniunctus tempus praeteritum sequitur. Uno modo loco indicativus et coniunctivus praesente antecedente usurpatus est: XXI 16, 7: quod autem nec visus est nec gustaverit, praeter mitto.

Contra apud verba accusandi saepius infinitivus legitur, qui usus apud nonnulla quidem huius generis verba rarus est. Tacitus apud verbum accusandi ipsum primus acc. c. inf. utitur (conf. Nipp. ad Tac. Annal. XIV 18). Ubicunque autem Ammianus infinitivo utitur, verbum accusandi uno loco excepto forma passivi infinitivo activi sequente expressum est.

Arcesso cum inf.: XV 3, 1; 5,28 XVI 7, 6 quod: XXVIII 1,27

arguo: Inf. XVI 7, 4 XIX 12, 14 XXII 10, 2 XXV 1, 8 XXIII 1, 21; quod XVI 6, 1; cum coniunctivo coniunctum; XXVI 14, 15 accuso quod XXIX 3, 7 incuso quod: XXV 5, 7; 1, 7 XXI 16, 8 Inf.: XIV 11, 24 Insimulo c. inf: XIV 5,3 XXV 3, 3 XXIX 1, 42 Sed XXV 4, 23: quoniam eum obtrectatores novos bellorum tumultos insimulant concitasse.

Confuto: c. inf.: XVII 9, 5 XIX 12,12 XXVI 3,14 XXIX 5,43 convinco c. inf.: XIV 7, 7 XVIII 3, 4 XXI 12, 20 XXII

11, 2 XXV 1, 8 XXVI 3, 3 XXVII 3, 2 XXVIII 1, 26, 28; 3, 8. — quod XXIX 2, 17.

Praeterea XXII 14, 3 insolenter „cum“ dictum est: culpabatur cum laetabatur.

Denique paucis verba affectuum attingam. Apud haec utraque constructio, acc. c. inf. et „quod“, fere pariter, ut apud omnes scriptores, adhibita est. Sed etiam hic Ammianus consuetudinem dicendi Graecorum accurate sequitur, nunquam coniunctivo nisi tempore praeterito antecedente utens.

Infinitivus exstat his locis:

XV 5, 2: quem superesse gravabatur XVI 5, 14: ob quae tanquam solem sibi affulsisse laetabantur XXIV 3, 7: prae me fero et laetor, ductores spectatissimos esse nobiscum XXVI 2, 6: exsulto et praefero nec speranti mihi detulisse XXXI 15, 13: prae se ferebat aequiparasse XXV 4, 2: gauderet effugisse XXVIII 5, 7: non feret indigne manum captam XXIX 2, 17: ut aegre ferret poenarum atrocitatem cum morte finiri.

Gemo: XV 2, 3 XXIX 5, 55 queror: XVI 5, 12; XXII 9, 8 XXVII 7, 5.

XXV 8, 17 erubescens se agente tradi piget: XIV 8, 15 XXVIII 1, 2 pudet XXII 4, 6 XXIV 3, 5 XXV 3, 19 XXIX 1, 20.

poenitet XIV 6,12.

quod invenitur his locis:

Laetus: XVI 11, 1 XXIV 1, 15. prae me fero XXI 5, 5 anxie fero XVI 12, 6, angor XIV 2, 19. maereo XIX 3, 1 XXIV 7, 8 XXXI 13, 16 queror XVI 10, 17 XXVIII 4, 18 illacrimo XXII 9, 4 gratias perhibeo: XXIV 4, 21 alacrior XIX 11, 2 elatior XXII, 9, 1 maestus XVIII 4, 21.

Coniunctivus exstat his locis:

XV 3, 6: maerebat docti quidam, quod nati non essent XIV 7, 14: iratus nimirum, quod custodiri iusserim XX 11, 31: super his urebat eius mentem, quod irritus propositi reverteretur XX 4, 13 maesti quod eos fortuna quaedam inclemens dispararet.

Cum igitur ex his dictis intellegi possit, quam accurate Ammianus in usu modorum consuetudinum dicendi Graecorum

sequatur, re ipsa adducimur, ut usum interrogationum indirectarum et enunciationum relativarum in indirecta oratione positarum contemplemur, quod in his enunciationibus lingua Graeca eodem modo, ut in usu particulae „ὅτι“ a latina lingua abhorret.

In indirectis interrogationibus quidem coniunctivus multo saepius indicativo adhibitus est, sed si rem accuratius intuemur, maxima pars coniunctivorum tempus praeteritum sequitur, cum tempore praesente antecedente saepius indicativus adhibitus sit. Multis locis res incerta est, utrum enunciatio relativa an interrogativa sit. Hic nonnulla exempla solum afferam, quae maxime ab usu linguae latinae discedunt: XIV 6, 14: anxie deliberatione tractatur, an conveniet XVI 12, 18: experieris, quid efficiet XXIX 1, 32: quaerentibus, qui succedet. XXIX 4, 2: cognito ubi poterit. XXVIII 4, 15: interrogante qui poterit.

Alii loci quibus indicativus usurpatus est, sunt hi: XIV 4, 4; 6, 22; 7, 14; 10, 15. XVI 12, 18; 5, 9. XVII 13, 24; 7, 9. XIX 4, 1. XX 5, 4; 8, 19. XXI 1, 7, 13; 6, 1. XXV 3, 10, 15. XXVI 7, 15. XXVIII 4, 9; 6, 1. XXIX 2, 9, 15. XXXI 4, 6; 10, 18. — XIV 9, 1; 11, 21. XVI 11, 12. XVIII 3, 5; 6, 21. XX 7, 1; 11, 5. XXI 5, 1. XXII 3, 8. XXIII 6, 50. XXV 4, 8. XXVI 5, 9; 1, 1. XXVIII 1, 4; 3, 5; 6, 9, 17; 5, 1. XXX 5, 9. XXXI 2, 10; 15, 9. Alios locos de quibus dubitari potest, omitto.

Usus denique modorum enunciationum relativarum in sermone imperfecta positarum plane idem est quem supra apud particulam „quod“ adhibitum demonstravimus. Omnino enim indicativi usus praevalet; coniunctivorum autem praesens tempus sequentium duo solum exempla exstant. XXIII 5, 22 „ubique omni praerogativa principum, qui quod dixerint vel censuerint, pro potestate auctoritatis iustum esse existimant.“ Sed hic relativum „quod“ fere idem significat quod pronomen „quodcumque“, cuius generis pronomina ab Ammiano etiam in oratione directa plerumque cum coniunctivo coniuncta esse iam supra dictum est. Alter locus coniunctivo praesens sequente constructus legitur XXVIII 1, 15.

Multorum exemplorum, quibus indicativus exstat, etiam hic pauca modo ab usu linguae latinae maxime abhorrentia afferam XXVI 5, 12 precantes ne in rebus duris relinqueret,

quas praesens eripere poterit XXIX 1, 6 alia se monstraturum metuenda, quae, nisi prospectum fuerit, omnia confundent."

Praeterea duobus locis infinitivus in talibus enunciationibus legitur:

XXV 10, 3 vel certe stellas esse quasdam caeteris similes, quarum ortus obitusque humanis mentibus ignorare (confer Krüger gr. Gramm. § 54, 4, 9) Altero loco, XXIV 3, 1 quo legitur: „perfertur nuntius — paucissimos trucidasse: inter quos strato tribuno unum rapuisse vexillum", voces „inter quos" explicari possunt pronomine demonstrativo cum copula coniuncto.

Ex his dictis igitur intellegi potest, illum usum modorum apud particulam „quod" repertum non in casu positum habendum, sed e natura elocutionis Ammiani deducendum esse.

Usu particulae „quod" et modorum apud hanc particulam adhibitorum explicato, nonnulla de continuata oratione indirecta dicenda sunt. Etiam hic ex multis locis apparet Ammianum scribere latine, sed Graece sentire. Consentaneum est, hic solum tales locos spectandos esse, quibus oratio indirecta particula „quod" constructa sit. Graeci enim „ὅτι" antecedente orationem indirectam „ὅτι" omisso indicativo aut optativo aut infinitivo continuant. Omnium harum constructionum exempla apud Ammianum exstant.

XIX 11, 7 cohors augebat, id sine modo strepentium, quod proletarios lucrabitur plures et tirocinia cogere poterit validissima: aurum quippe gratanter provinciales dabunt."

XXX 2, 4 Victorem et Urbicium ire propere iussit in Persas, responsum absolutum et uniusmodi perferentes: quod rex iustus et suo contentus sceleste concupiscat Armeniam; sed ni Sauromaci praesidia militum impertita . . . . reverterint, invitus ea complebit, quae sponte sua facere supersedit.

XXIII 6, 24 Fertur quod post direptum hoc idem figmentum milites fanum scrutantes invenere foramen angustum, quo reserato ex adyto quodam concluso a Chaldaeorum arcanis labes primordialis exsiluit." Sed si quis dicat, hic orationem indirectam in directam mutatam esse, non repugno.

XXIX 2, 12. non reputante alta nimium potestate, quod

recte institutis ne cum inimicorum quidem incommodis in delicta convenit ruere voluntaria; nihilque sit tam deforme quam ad ardua imperii supercilia etiam acerbitatem naturae adiungi XXIII 6, 21. nos autem id dicimus, quod in his terris amnes sunt duo perpetui, Diabas et Adiabas ..... ideoque intellegi Adiabenam cognominatam.

XVIII 6. 16 docet, quod apud Parisios natus in Galliis ...... ad Persas abierat profugus; exindeque morum probitate spectata coniuge liberisque susceptis speculatorem se missum ad nostra, saepe veros nuntios reportasse."

Quin etiam infinitivi constructione praegressa indicativo continuatur: XIX 12, 12 adserens propitiandi causa numinis haec a prima adolescentia factitasse, non tentandi sublimiora scrutatis: nec enim quemquam id noverat affectasse."

Nunc venimus ad nominativum cum infinitivo coniunctum inusitate adhibitum cuius usus paucis locis poetarum (vide Bentl. ad Hor. Ep. I, 7, 22) exceptis solum Tacitus unum exemplum praebet (Hist. 4, 55.)

Hi sunt loci:

XIV, 2, 9 arbitrabantur nullo impediente transgressi apposita quaeque vastare. XVII 13, 11: „mussitantes audiebantur fortunae non meriti fuisse quod evenit." XIX 11, 6: „Principem exorabant in veniam obsecrantes, ut transmisso flumine ad eum venire permitterentur, docturi quae sustinerent, incommoda: paratique intra spatia orbis Romani terras suscipere longe discretas." Vox „parati" cum voce „permitterentur" quidem coniungi potest, sed sententia multo melior fit, si voce „parati" indirecte continuari putamus, a qua opinione nominativus nos deterrere non potest, praesertim cum hic Ammianus antecedentibus verbis „permitterentur docturi" facile pellici potuit, ut eum usurparet. Neque particula „que" huic opinioni repugnat. Ammianus enim libenter particulis „et" aut „que" utitur, ubi aliae particulae exspectantur aut nulla. Ita praecipue post verbum statuendi id quod aliquis statuit non enunciatione secundaria exprimitur, sed particula „que" libere" adiungitur. XIV 11, 4: tandem id ut optimum factu elegit: et Ursicinum primum ad se venire mandavit.

XV 8, 1 reperit tandem consilium rectum, et Iulianum in societatem asciscere cogitabat. —

XVIII, 6, 5 scripta suscepimus iubentia reverti Mesopotamiam sine apparitione, nullam expeditionem curaturi periculosam.“ Hic nominativus „curaturi“ cum verbo finito coniunctus est, cum ad infinitivum ex verbo iubendi pendentem pertineat.

Sed multo insolentius dictum est XXVIII 4, 17: „expedit peregrino interficere fratrem cuiuslibet quam rogatus ad convivium excusare,“ quo loco dativus aut accusativus exspectatur.

Nominativus cum infinitivo cum verbo finito in passivi forma posito coniunctus ab usu aliorum scriptorum non abhorret. Sed contra multa exempla leguntur in quibus „fertur,“ „dicitur,“ similia verba accusativo c. inf. construuntur.

Ultimo loco nonnulla verba afferam de quibus grammatici agere solent: verba minandi, pollicendi, sperandi. Grammatici plerumque docent, haec verba sequi acc. c. inf. futuri: si igitur infinitivus praesentis exstet, constructionem neglectam habendam esse. Sed, mea quidem sententia, magna ex parte non neglegenter dictum est, si infinitivus praesentis invenitur, praesertim cum apud optimos scriptores legatur, sed omnia huc redeunt, quo modo is qui minatur, pollicetur, sperat, mente cogitet. Nam certum consilium aut certa spes optime infinitivo praesentis exprimi potest. Ammianus utraque constructione fere pariter utitur. Apud verbum minandi infinitivus futuri solum exstat: XIV 5, 7 XXV 4, 12 XXVIII 6, 19 polliceor: Inf. Fut. XVII 10, 5 XXIII, 5, 22 XXVII 12, 7 XXXI, 4, 1. Inf. Praes. XVII, 12. 11 XXIII 5, 6 XXIV 5, 4 XXVIII 1, 53; 5, 10 XXIX 2, 27; 5, 8 XXX 4, 12.

promitto Inf. Fut. XVII 10, 7 XXVI 6, 13 Inf. Praes. XV 3, 7 XXI 4, 3 XXII 7, 5 XXV 6, 15 XXIX 1, 11 XXXI 12, 15.

spondeo Inf. Fut. XVI 7, 3 XVIII 6, 3 XX 8, 13 Inf. Praes. XVII 12, 11 XXIX 5, 44

spero: Inf. Fut. XIV 7, 5 XIX 11, 3 XX 11, 16 XXI 9, 2 XXXI 12, 13; posse cum inf. praes. XVII 1, 3; 4, 15; 9, 2; 13, 15, 27 XXI 7, 3 XXVI 1, 1 XXIX 5, 45 Inf. Praes. XV 5, 5 XVI 10, 2, 14; 8, 10 XX 8, 10 Nom. c. inf. futuri XVII 3, 1 XXX 5, 3; 10, 1 XIV 7, 5.

II. Verba auxiliaria.

1. Verba volendi

α) Verba vim affirmativam habentia a) Verba cupiendi: Volo, malo persaepe; cupio XIV 11, 11 eum videre frater cuperet patruelis; item: XV 5, 35 XVI 10, 20 XXX, 4, 1 — opto: XVII 1, 14 oppetere dimicando optabat." XVI 10, 2 XX 11, 32 XXVIII 1, 54 XXXI 8, 8 exopto: XV 8, 8. — ardeo XV, 5, 24: ardentis angustias Alpium perrumpere." XX 7, 11; XXII 12, 2 — flagro XXX 1, 4 rapere vi vel metu flagrantium." — gestio XVI 10, 1 Romam visere gestiebat." XVII 11, 1 XVIII 6, 20 XX 5, 10 XXIII 1,2 XXX 5,4. — desidero XXV 3,19: qui mori desiderat" — amo XXI, 1, 9 amat benignitas numinis prodere quae impendent"; deinde praecipue formula „amat fieri" exstat: XVI 12, 40 XVII 1, 7.

b) Cum notione secum reputandi: Cogito XIV 11,1 „Caesarem convellere nisu valido cogitabat." XV 5, 15; 8. 1 XVII 9, 1; 12, 7 XVIII 4, 1 XIX 9, 1; 11, 4 XXI 7, 6; 9. 5 XXII 12, 8 XXIII 1, 2 XXVI 7, 13 XXVIII 2, 2 XXXI 12, 2 — meditor XIX 6, 7 „supervenire ipsi regiae meditabantur." XIX 11,10 XXVII 6,4. — propono XXIV 7,3: mediterraneas vias arripere proposuit."

c) Verba statuendi: Statuo XX 8,3 „legatos mittere statuit" XVI 10, 17 XX 11,24 XXV 8, 3 XXVII 2, 9 XXIX 1, 39; 5, 54 XXXI 10,11; 16,1 — instituo XXIX 5,28 „nisibus magnis instituit iuvare germanum." XXVII 11, 6 — dispono. Nonnullis locis idem valet quod „statuo", „decerno." Ita XVIII 8, 1: „quo certis speculationibus cognito, nos disposuimus properare Samosata." XXIII 2, 5; XVI 10, 16 XVII 2, 2 XX 7, 17 XXI 4, 7 XXIV 5, 7 XXIII 4, 16 XXVIII 1, 54; 2, 5. Sed, si quis putet, compluribus locis verbum vim iubendi habens infinitivo solo certo subiecto omisso constructum esse, non repugno. — decerno XIV 10,15 adhibere modum decernens

d) Verba contendendi: Affecto XXV 4, 18: „popularitatis cupiditate cum indignis saepe loqui affectans." XXX 2, 11 — contendo XVI 12,50. „prodigere vitam pro victoria contendentes." XXII 9,2; 4,5 — certo XIV 8, 8 „Hanc (Syriam) nobilitat Antiochia, cui non certaverit alia ita affluere copiis." —

studeo XXVIII 1, 13 „studebat imitari Brachmanas" XXVIII 1,46. — tento XVI 12,50 „tentabant laxare compaginem." XVI 12, 27 XX 5, 7; 6. 2 XXII 11, 7 XXIV 6, 5 XXVII 12, 13 XXX 8,8 XXXI 3,4; 4,6; 7, 10; 15, 12. — laboro XV 1, 3 „vitam formare diligentia laborabat enixa." XVI 12,37 XXIII 5, 20. — nitor XVI 2,4. „Caesar audaciam viri fortis imitari magnopere nitebatur." XVII 5,15 XVIII 4, 3 XIX 11, 3 XX 11, 13 XXI 12, 9 XXVII 7, 4 XXXI 10, 13. „adnitor" autem cum particula „ut" coniunctum exstat XXX 3,3 „adnitebantur omnes per regiam optimates ut eum pertinerent." molior XIV 2,5 „quisque serpentes latius pro viribus repellere moliens." XXI 11, 2 XXIII 1, 7 XXX 7, 10. „Ut" autem exstat: XXIX 5, 19: „tectiore consilio id moliri ut exercitum conturbaret." — curo particulâ „ut" constructum XXVI 3, 1: „id primum opera curabat enixa ut veneficos exturbaret" — paro XIV 2, 10 „innare temere contextis ratibus parant" XIV 2, 17; 3,4 XVI 1, 1 XX 7, 8; 11, 20 XXV 1, 5 XXVI 2,3; 8, 3 XXVII 6, 8 XXXI 8, 5; 9, 4.

c) Verba celerandi: Accelero XX 4,8, „petentis ut venire accelararet" — festino XVI 12,51 „per diversos tramites tota celeritate egredi festinabant" XVII 5, 8 XVIII 2, 14 XIX 6, 9 XX 11, 30 XXI 4, 1; 12, 9 XXII 1, 1 XXIV 2, 14 XXV 3, 4; 8, 2; 9, 1, 8 XXVI 5, 15 XXVII 6, 10; 9, 2 XXVIII 5, 6 XXIX 1, 19; 5, 9; 6, 13 XXX 3, 2 XXXI 7, 8; 11, 2; 12, 3; 16, 4 „ut" autem invenitur XXVIII 4, 31: effusius omnes festinant praecipites, ut currus ipsos anteant." Sed hic „ut" non tam e verbo „festinant" pendet, quam exprimit quo consilio actio festinandi fiat. — maturo XVII 8, 1 „Alamannos praevenire studio maturabat ingenti" XXIX 6, 11 — propero XVII 9, 1 „studio pervigili properans modis omnibus utilitatem fundare provinciam" XV 4, 11 XVI 12, 51 XIX 7, 1 XX 4, 1 XXI 7, 3; 12, 1; 15, 1 XXII 9, 14 XXIII 2, 2 XXIV 6, 11 XXV 1, 2; 3, 3; 7, 4; 10, 5 XXIX 1, 18; 5, 2 XXXI 10, 21; 12, 1; 13, 9. — tendo non exstat cum infinitivo coniunctum, nisi cum infinitivo eundi: XIV 11, 12 XXVI 9, 2 XXVII 8, 3 XXIX 5, 18 XXXI 10, 20.

f) Verba perseverandi et continuandi: Persevero XX 4, 8 „si reniti perseverasset" XX, 11,1 pergo. — ubi-

que cum infinitivo eundi coniunctivum: XXIX 8, 6 XXI 9, 1 XXVI 6, 16 XXIX 5, 9.

β) Verba negativam vim habentia a) Verba nolendi „Nolle“ persaepe; non pati: XIV 9, 6; non perpeti: XX 9, 2 dedignor XXVI 8, 5: dedignatus hominem superare certamine

b) Verba Desistendi: Desisto XXV 4, 12 „ni tumultuari desisterint.“ — desino XIV 5, 7 „ut tandem desineret — homines in aperta pericula proiectare“ XXI 6, 2; 9, 8; 14, 2 XXV 3, 8 XXVI 7, 1 XXVII 6, 13 XXX 5, 4.

c) Verba neglegendi: Differo XVI 4, 3 „periclitanti Caesari distulit suppetias ferre,“ XXV 9, 5 XXVI 8, 13 XXVII 12, 15 XXXI 10, 7.“ — moror XVI 12, 35 idem facere non morati. — supersedeo XXIX 1, 20: „an vera esset, excutere supersidens“ XXX 2, 4;

d) Verba verendi: Horresco XXIX 3, 9: „horrescit animus omnia recensere.“ Item „horret“ impersonaliter adhibitum XXIX 2, 15: horret reminisci. — formido XXVII 8, 4 „ut Ulyxes replicare formidat.“ — timeo XXI 13, 2 timebat eum (militem) periculis obiectare XXIII 5, 20. — vereor XVI 12, 59 perrumpere verita XX 1, 1 XXVIII 6, 4. — caveo „ne“ legitur XV 2, 3 XXII 10, 3; 6, 6. — ambigo XV 4, 12 „prodire in proelium ambigebant“. Si haec verba significant „timere ne quid fiat,“ Ammianus semper „ne“ utitur, nisi quod semel infinitivum adhibet XXVI 6, 12: extremaque iam perpeti nequaquam timens.

e) Verba recusandi: Recuso XXV 10, 6 „Malarichus recusavit suscipere magisterium;“ reluctor XX 4, 8 „parere contentione maxima reluctantis;“ detracto XXVIII 6, 23 „praebere necessaria detrectarunt.“

2. Verba facultatis.

Valeo XIV 11, 22 hactenus valuit loqui: XVI 2, 6 XXV 1, 2 XXXI 13, 13 scio XVI 5, 11 „rapere non accipere sciunt Agentes in rebus;“ nescio XVI 12, 70 „ni fama res maximas silere nesciret“ XV 5, 37 XVIII 5, 6; sufficio XXVII 3, 12 „nec corrigere sufficiens Iuventius nec mollire“ XVIII 6, 14 XXV 2, 6 XXVIII 4, 5, 33; 6, 6 XXX 2, 4 XXXI 5, 10; 6, 6. —

Quinque igitur verba exstant, quae coniunctiones secun-

tur: vocum curandi, moliendi, adnitendi, festinandi quaeque semel „ut“ regit, deinde apud vocem cavendi compluribus locis „ne“ legitur.

III. Verba causativa.

Usum Ammiani verborum causativorum multo liberiorem esse quam apud omnes alios scriptores, iam supra dictum est. Priusquam ad hunc usum proponendum accedimus, restat nunc, ut aliqua afferam, quibus appareat, qua ratione Ammianus ad alios scriptores hac in re utatur. Liberior usus infinitivi haec verba sequentis in lingua latina ante tempus Augusti paucis quidem locis invenitur, sed tamen iam apud antiquissimos scriptores. Sed poetae Augusti aetatis, maxime Graecis imitandis, hanc consuetudinem dicendi planius adhibuerunt, qua in re eos scriptores latinitatis quae argentea nominatur, etiam in prosa oratione secuti sunt. Exempla ex his et antiquioribus scriptoribus Haase ad Reisig. p. 560 affert. Sed ab Hadriani aetate hae structurae libere usurpatae fere nunquam a scriptoribus prosae orationis adhibitae sunt. Sic apud Frontonem, qui ut antiquissimos scriptores imitaretur summam operam dabat, fere nihil huiusmodi exstat. Verba „postulare,“ „poscere,“ „flagitare,“ „optare“ paucis locis apud eum infinitivo constructa exstant: cuius constructionis exempla iam antiquissimi scriptores praebent: P o s t u l o: ep. ad Ant. Pi. 3, ad Ant. Aug. 1, de fer. Ali. 23 ad amicos I, 11; II, 11. p o s c o de laud. fum. 2. f l a g i t o ep. ad M. Aurel. I, 9; o p t o ad Ant. Pi. 9 ad amic. 1, 3; o p t a b i l e est ad M. Aurel. II, 1. Praeterea digna relatu sunt haec: verbum i m p e t r a n d i cum infinitivo coniunctum Ant. Pi. 9; item „i m p e r a r e: do bello Parth. 16. s u a d e r e ad. am. II, 6.

Praecipue autem ex scriptoribus Historiae Augustae apparet, hunc usum in sermonem plebeium vel cotidianum non transisse. Nam si quid simile apud hos legitur, magis neglegentiae dicendi tribuendum est. Infinitivi qui exstant, magna ex parte verba quae auxiliaria nominavimus, secuntur. Verborum causativorum hoc modo constructorum haec exempla reperi: Postulo: Claud. 11; impello: Commod. 4. Verba imperandi semper particulas „ut“ vel „ne“ sibi asciscunt exceptis vocibus iubendi et praecipiendi. Verbum praecipiendi, cum iam priore

tempore omnium verborum vim imperandi habentium maxime infinitivum sibi asciscat, tam saepe apud scriptores H. A. cum infinitivo coniungitur ut multorum locorum, quibus exstat solum in tribus (Heliog. 28, Firm. 7, Albin 8) „ut“ vel „ne“ sequatur. Verbum permittendi, ut apud alios scriptores, fere pariter utroque modo, infinitivo aut particula finali construitur.

Praeterea praecipue duorum verborum usus ab aliis scriptoribus abhorret: usum v. faciendi et prohibendi dico. Verbum faciendi persaepe infinitivus sequitur. A Ver 5 Sev. 5 Pesc.: N. 7 Alb. 12. Carac. 2 Alex. Sev. 10, 23. Gallien. 3, 16 trig. c. 24 Claud. 1. Apud vocem prohibendi nusquam „ne“ aut „quominus“ exstat, infinitivus autem Had. 22 Av. Cass. 5 Pesc. N. 10 Alex. Sev. 24. Hae singulae exceptiones, si totum usum scriptorum H. A. hac in re cum incorruptae latinae prosae orationis consuetudine congruentem spectas, non temere aut libidine quadam ortae esse possunt. Apud verbum praecipiendi res mihi aperta esse videtur. Nam ex primitiva vi verbi primum significatio docendi deducta est: quam vim habens infinitivum regebat. Cum autem paullatim vim imperandi acciperet, constructum est ut alia verba huius significationis. Sed constructio infinitivi, quae priori significationi magis respondet, in sermone plebis, apud quam natura et consuetudo linguae magni momenti sunt, non simul cum significatione mutata est. Ita consentaneum est, constructionem infinitivi, nunquam plane remotam, apud scriptores sermone plebeio utentes rursum praevalere. Similiter apud verbum iubendi sermo plebeius pristinam consuetudinem dicendi magis servavit. Nam apud hoc verbum pristino tempore particulam „ut“ significationi verbi respondentem, ut apud v. vetandi „ne“, non raro adhibitam esse, ex compluribus locis Plauti et ex nonnullis apud Ciceronem ipsum exstantibus intellegi potest. Paullatim nescio quo modo e consuetudine scribendi „ut“ evanuit. Sed scriptores H. A. non multo rarius „ut“ adhibent, quam acc. c. inf. Loci sunt hi: Had. 16 Ant. Phil. 11, 21 Sev. 5, 23 Pesc. N. 10 (2) Albin. 2 Heliog. 13 (2) 29 Alex: Sev. 22, 26, 57 Gord. 29 Maxim. 10 (2) Aurel. 14, 19 Firm. 9. Dativo personae antecedente „ut“ sequitur Maximin 3 Prob. 14.

Ammianus igitur tam multa libere dicta adhibens non tam

aetatis suae aut sermonis plebei cansuetudinem sequitur, quam morem Graecorum dicendi in linguam latinam transfert. Sed usus illorum verborum scriptorum H. A., quoniam e sermone plebeio ortus habendus est, in Ammiani dictione multum valet. Nam apud verbum praecipiendi solum, apud v. prohibendi et taciendi magna ex parte infinitivus adhibitus est.

Restat, ut de omissa particula „ut“ nonnulla dicamus. Hic usus omnibus linguae aetatibus exstat. Priorum scriptorum praecipue Plautus et Lucretius ita dicunt. Apud Lucretium praeter multa alia maxime formula saepe repetita „fateare necesse est“ legitur. Posteriore aetate praecipue Frontonis et Apulei dictio hoc modo dicendi abundat. Ita in sex primis libris Metamorphoseon Apulei verbum praecipiendi coniunctivus solus quinquies sequitur (II, 26 IV 24 V 6, 13, 26), infinitivus semel (II, 5), „ut“ nunquam. Adice hos locos Frontonis: facio de bell. Part. 13 de orat. 4, 1, 1 censeo ad am 1, 3 de orat. 4, 1, 2 de fer. Al. 3, 36 peto ad am. 1, 13 cupio ad M. Aur. 1, 1 ad am. 2, 27. sino: ad M. Aurel. I, 1, 6; I, 5, 17. Deinde apud verbum volendi persaepe. Apud Ammianum hic usus perraro exstat, id quod etiam e more Graecorum dicendi declarandum est. Graeci enim nunquam ita dicunt, nisi quod paucis locis apud verba „ἐθέλειν“ et βούλεσθαι“ hic usus exstat (v. Krügr. gr. Gramm. II, 2 §. 54, 2, 5). Itaque etiam ex eo quod apud Ammianum non exstat, apparet, quam accurate in syntaxi rationem dicendi Graecorum sequatur.

1) Verba orandi et postulandi

oro: Acc. c. inf. passivi exstat: XV 5, 6 Mallobaudem orabat properare permitti. XXI 6, 9; 13, 15 XXIII 5, 4 XXV 2, 8 ut vel ne exstant. XIX 1, 6: 6, 7 XXI 5, 12; 15, 4 XXII 14, 4 XXIII 2, 4 XXV 9, 2 XXVI 9, 5 XXVII 12, 16 XXVIII 1, 24 (1, 51 ?) XXX 5, 1 XXXI 12, 5

rogo: Acc. c. inf. passivi XXIX 5, 22 „rogantium sanguine vindicari.“ Nom. c. inf.: XXVIII 6, 5 ferre opem rogaretur afflictis; XXIX 2, 14 „ut“ vel „ne“ XV 7, 3 XXV 8, 17.

perrogo ut XXVIII 4, 14.

exoro: Acc. c. inf. p. XVI 12, 13 in hostem se duci exorabant.“ „ut“ vel „ne“ XIX 9, 4 XXV 6, 12 precor ne XXVI 5, 12 apud v. imprecandi autem gerundii infinitivus exstat XVII 10, 9: imprecatus luenda sibi supplicia“.

obsecro: Acc. c. inf. p. XVII 12, 16 suspendi a iugulis suis gladios obsecrantium; „ut“ vel „ne“ XIV 5, 7; 7, 5 XV 5, 10 XIX 11, 6 XXX 1, 6 XXXI 4, 12. Coniunctivus solus autem sequitur XX 5, 9: obsecravere recturi mitterentur

obtestor: Ubique particula finalis sequitur: XVIII 3, 2 XXIII 4, 5 XXXI 5, 10

supplico: Acc. c. inf. p. XVII 12, 10 concessionem delictorum sibi tribui supplicavit.“ „ut“ vel „ne“ XIX 9, 5 XXVIII 2, 7.

flagito ubique acc. c. inf. p. XVII 13, 1: ocius signa transferri utilitas publica flagitabat XVIII 6, 1 XXV 6, 11 XXIV 5, 26; item

postulo XXVII 7, 8 alium sibi postulans dari XXXI 5, 5 introire ad comparanda necessaria postulantem.“ Hoc loco „introire“ quodam modo loco intromitti adhibitum est. Sed etiam usus Plauti, qui nonnullis locis verbum postulandi fere eodem modo quo v. volendi usurpat, conferendus est (vide Lorenz ad Plaut. Mostell. p. 249)

posco: Acc. c. inf. p. XIX 6, 3 conserendae manus copiam sibi dari poscebant XXI 12, 19 XXII 9, 8 XXIV 2, 20 XXVII 8, 10; „ut“ vel „ne“ XXIX 6, 5 et XXX 2, 2 „aliud poscens ut permitteretur.“ Sed hic elocutio finalis pronomen „aliud“ accuratius explicat.

peto: Acc c. inf. p. XXI 13, 16 petebant se duci in rebellem“ XXVII 12, 8, 15 XXVIII 6, 29 XXXI 4, 4; „ut“ aut „ne“ XV 5, 6 XVII 9, 7 XXVIII 1, 9, 20; 6, 8 XXIX 5, 57 XXX 5, 12 XXXI 12, 8

impetens XXXI 12, 14: impetens nobiles quosdam ad se obsides mitti.“ Hoc verbum hic vim postulandi habet.

Duo verba huius generis copula coniuncta ubique particula finalis sequitur: orare et monere XIV 11, 9 orare et suadere XXVI 5, 12; — et obsecrare XX 4, 15; — et rogare XV 5, 4; rogare et obtestari XXVII 6, 13 petere et movere XX 4, 8.

2) Verba compellendi

compello: Nom. c. inf.: XIV 9, 7; 10, 4; 11, 16 XVI 5, 15 XVII 1, 3; 10, 9; 12, 13 XVIII 5, 2 confiteri vi metuque compulsus est XXI 4, 5 XXII 11, 10; 15, 24 XXV 1, 3 XXIX 1, 34; 5, 10 XXX 5, 8 acc. c. inf. p. XV 5, 14: quos exhiberi delatio compulit criminis.“ Reliquis locis infinitivus solus ac-

cusativo personae antecedente usurpatus est XIV 8, 13: hanc obtemperare legibus nostris Traianus compulit XIV 11, 21 XVI 12, 31 XVII 13, 30 XVIII 7, 3; 9, 3 XX 4, 14 XXVIII 4, 26 XXX 5, 6.

impello XXIII 5, 18 illos voluntas ad altiora propensior subire impulit facinora.

incendo ut XVIII 5, 8 regem incendebat ut arma concitaret.

inflammo: Inf. XXVIII 3, 2 quas insolentia aggredi res Romanas inflammabat.

hortor: Inf. XIV 7, 9 Gallum ad Italiam properare hortaretur. XIV 11, 6 XX 4 6 XXVI 9. 4. XXX 4. 15. Persona, quae monetur, supplenda est. XVII 1, 2; 13, 26 XXVIII 1, 29

hortor et moneo cum inf. XXI 6, 7.

„Ut vel ne" XIV 11, 15 XVIII 6, 1 XX 7, 3 XXIX 5, 24 XXX 8, 13 hortor et oro ut XVI 12, 9; h. et praemoneo ut XX 11, 1

moneo: Nom. c. inf. XV 5, 9 monebatur parare propere cuncta. XV 7, 9 XVII 3, 5 XXIII 4, 1; infinitivus solus sequitur: XVII 13, 2 quos pericula formidare monebat scelerum conscientia. XIX 12, 5 XXVI 1, 5 XXXI 16, 9 XV. 10, 11. Certa persona omissa est: XVI 7, 4 res monuit pauca subserere. XVII 13, 8.

Aliis locis, ut XIX 12, 19 partus praemonebat, rem publicam in statum verti deformem XXI 16, 14 XXIX 5, 23 XXXI 1, 1 verbum monendi et composita eius vim verborum dicendi habent.

„Ut" vel „ne" exstant: XV 5, 8, 21 XVIII 2, 8 XIX 3, 1 XXII 3, 12; 5, 3 XXIII 2, 2 XXV 8. 10 XXVII 7, 5 XXVIII 2, 5 XXIX 5, 52. Item admoneo XVII 13, 6

suadeo: Acc. c. inf. p: XVIII 7, 10 flecti iter suadens in dexterum latus. XVIII 2, 9 XXIII 5, 13 (XXIV 7, 32) XXX 2, 2 XXXI 12, 7. — Infinitivus simplex dativo personae antecedente XVI 9, 3 suaderet regi pacem firmare XXVII 12, 6 XXX 1, 4; persona omissa: XVI 8, 4 suasit arcessere maritum XVII 5, 11 XXIII 1, 7 XXXI 6, 4. Acc. c. inf. activi denique exstat XX 7, 8 suadebat discedere Persas ad sua.

„Ut" vel „ne": XXII 7. 8 XXIII 5, 20 XXXI 6, 4. Coniunctivus solus autem exstat XXVIII 6, 28: „ipsum suasisse civibus, gravarent mentiendo legatos."

elicio: „Ut" XXII 16, 23; item pellicio XXXI 15, 8; infinitivus autem exstat XIV 11, 11 solus omnium eum proficisci pellexit.

illicio c. inf.: XXIX 5, 49 alios deserere proelium illexerunt. XVI 10, 18

adigo: Acc. c. inf. p.: XV 5, 2 Arbetione id maturari adigente. XXI 16, 10 XXVII 10, 7; infinitivus simplex invenitur XVII 13, 29 alios periculi declinatio adegit suffugia petere XX 4, 14 XXIII 2, 1 XXIV 6, 5 XXX 5, 8 XXXI 5, 2; persona certa omissa est XIX 11, 6 pavore adigente mentiri. XXIV 6, 1. Denique nom c. inf. XXIX 1, 5 tradidit adigendos; prodere „ut" solum XXVIII 4, 27 legitur.

subigo: Inf. simpl. XXII 8, 17 acc. c. inf. p XV, 5, 20 cum vicissim restitui in pristinam concordiam partes necessitas subigeret.

animo: ut XX 4, 12 legitur.

urgeo: Acc. c. inf. p. XIV 7, 2 ei celebrari vilitatem intempestivam urgenti. XIV 9, 7 XXVI 2, 3 XXVII 3, 6. Nom. c. inf. XIV 1, 5 „id urgebatur compleri." Inf. simpl.: XVI 12, 9 XXV 8, 9; persona omissa XIV 11, 16 XX 11, 24. Inf. gerundii exstat XXXI 12, 6 quidam eundum ad certamen urgerunt. „Ut" legitur XIV 11, 22 XXVIII 4, 26

cogo: Maxime nom. c. inf. invenitur: XIV 2, 6; 6, 12; 9, 1, XV 9, 1 XVI 5, 10; 12, 6 XVII 13, 23 XIX 7, 8 XX 4, 14, 17 XXII 14, 2 XXIII 6, 82 XXVI 10, 4 XXVII 6, 2; 11, 3 XXVIII 5, 6 XXXI 10, 5 Inf. simpl. XVI 12, 31 XVII 11, 3 XX 11, 7 XXI 13, 3 XXII 15, 9 XXIV 4, 30 XXVIII 6, 4 XXXI 3, 7; 4, 13.

Particula „ne" XXIV 2, 5 „densitate contecti ne possent emittere, coëgerunt" pendet non ex verbo „coegerunt."

3. Verba imperandi.

Impero: Dativum personae particula „ut" sequitur XVIII 2, 11; XXII 15, 24. Praeterea „ut" exstat XXX 9, 5 et pronomine id praemisso XXV 6, 13.. — Acc. c. inf. activi autem legitur XX 8, 22; XXI 12, 2 Iovinum redire imperavit. Etiam altero loco verbum significationem habet eundi.

mando: Acc. c. inf. p. XVII 1, 1 cunctos humari mandavit XXIX 2, 10; 5, 7; 6, 2 XXVI 6, 3 XXXI 1, 2; 16, 8. Nom.

c. inf. XVIII 6, 17 reperimus scriptam ad nos perferri mandatam. Acc. c. inf. activi XXIX 2, 15 quosdam praeire mandavit. XIV 11, 4· Etiam hic verbo est eundi vis subiecta. Dativus personae denique infinitivo sequente legitur XXIII 3, 2.

„Ut“ vel „ne“ XIV 7, 9 XVI 12, 3 XVIII 3, 7 XIX 3, 2 XXI 4, 2; 8, 4 XXII 9, 17 XXIII 3, 5 XXV 8, 9; 10, 9 XXVII 12, 5 XXVIII 6, 17 XXIX 3, 7; 4, 5 XXXI 15, 11.

Loco XXII 6, 4 particula „ne“ non directe ex verbo „mandatum est“ pendet, sed verbum observandi supplendum est: Legitur enim: „mandatum est navigiorum magistris, ne quis transfretare auderet Aegyptium“ XXVI, 6, 2 coniunctivus solus exstat: „mandarat pro cognitorum ageret textu“

ordino: Nom c. inf. XIV 3, 1: incursare Mesopotamiam ordinatus. — Acc. c. inf. activi XVII 2, 3 discurrere flumen ultro citroque milites ordinavit. Eodem modo XXVIII 12, 7.— Participium futuri adhibitum est XXVI 5, 2: in Orientem secuturus Volentem ordinatus est Victor.

sancio: Acc. c. iuf. p.: XXVII 6, 7: „quae fieri caritatis sanciunt iura.

edico c. inf. XX 4, 13: petere edixit. — „ut“ XX 5. 1

pronuntio: Nom. c. inf. XV 3, 11 pronunciati vertere solum. XXVIII 1, 56. — Acc. c. inf. p. XXVII 7, 8 interfici debere pronunciabat.

scribo: Ubique „ut“ sequitur: XXVIII 5, 10 XXX 1, 22 XXIII 2, 5; item XXV 10, 9 ferens litteras ut ageret; rescribo autem cum acc. c. inf. p. coniunctum exstat XXVIII 1, 51: oravit impense ut rescriberetur eum occidi.

praecipio: Nom. c. inf. XV 3, 9 id quod agebat continuare praeceptus est. XV 7, 6 XVI 2, 8 XIX, 12, 9 XX 4, 6 XXI 10, 6 XXII 4, 9 XXV 9, 2 XXVII 7, 6 XXVIII 6, 27 XXIX 1, 44; 3, 5; 5, 9. Acc. c. inf. p. XIV 9, 6 tanquam obtrectatorem excarnificari praecepit. XV 2, 6; 5, 13; 7, 2, 4 XVII 1, 2 XVIII 10, 4 XXI 16, 11 XXIII 5, 5 XXVIII 6, 22 XXIX 2, 10; 3, 4.

Uno loco XXI 6, 9 dativus infinitivo sequente exstat: „cum ei innocentem torquere praecepisset.“ Reliquis locis acc. c. inf. activi adhibitus est, sed ubique verbum intransi-

tivum est. XVI 10, 21 Ursicinum ad se venire praecepit. XVII 12, 19 XX 4, 11; 9, 4 XXI 13, 16 XXVI 5, 9 XXVI 12, 9.

Sed XXIII 3, 5 „ut" sequitur: „iisdemque praecepit, ut agerent." Quamvis hic unus locus, si multitudinem aliorum spectas, offendere possit, tamen non est mutandum. Nam in Ammiano textum corrigere ratione usus dicendi habenda non rectum habeo, cum omni modo usus Ammiani tantum vacillet:

iubeo: Maxime construitur ut etiam apud alios scriptores latinos. Acc. c. inf. activi non invenitur, nisi verbum infinitivi intransitivum est. Sic XVI, 2, 8; 7, 1; 8, 7 XVII 12, 12 XX 2, 5 XXII 6, 5 XXIII 2, 2 XXV 9, 4 XXVI 7, 13 XXIX 2, 17, 19; 5, 20, 51 XXX 2, 4. Solum XXIV 1, 2 et XXIX 4, 7 verbum non est intransitivum. Praeterea autem nonnullis locis alia structura exstat. Dativus enim personae cum infinitivo coniunctus legitur: XXVI 8, 5 ipsis hostibus iussit suum vincire rectorem. XXVII 11, 4 XXV 8, 12. Adice huc XXXI 15, 5 quo loco lacuna est: iubebant nostris per minaces litteras, et legatum .... aetatem, fide retinendae salutis accepta." Valesio videtur scribendum: iubebant per minaces litteras et legatum ut se dederent statim, fide cet. Sed melius mihi videtur, non „ut" cum coniunctivo coniunctum poni, sed infinitivum. Haec ratio dicendi magis respondet usui Ammiani, apud quem „ut" non extat. Dativus solus verbum iubendi sequitur XXII 3, 12: quem ab ima sorte adusque iubendum Imperatori paene elatum Adrastia e rupe quadam egit excelsa."

Denique nonnulli loci afferendi sunt, quibus infinitivus solus subiecto certo omisso positus est. XXIV 1, 1 lituos sonare iubet. XXXI 8, 10. Sed eius modi usus verbi saepe apud scriptores latinos invenitur. XX 9, 2 eos adusque metum contuens mortis, egredi iussit, hic „eos" ex antecedentibus supplendum est. Item XVIII 6, 5 scripta suscepimus iubentia reverti.

4) Verba statuendi.

dispono: Nom. c. inf. XXV 6, 14 quos loca servare dispositos securitas vinxerat. XXVI 6, 12 XXVII 8, 3 XXVIII 1, 12 XXIX 3, 3; 4, 5; 5, 27, 42. XXXI 6, 1; 11, 2; 12, 15.

Acc. c. inf. passivi: XXIV 6, 4 unam (classem) emitti dispo-

suit. XXIV 7,4 XXV 5,9 XXVI 5,14 XXIX 5, 18; 6, 3. — Acc. c. inf. activi: XX 4, 9 XXIV 1, 2 XXXI 7, 3 quem ire disposuit. Item appono XXIX, 1, 2 appositi observare. impono XXV 1, 8 omnes eos inter impedimenta agere iter imposuit.

„ut" autem legitur XVI 12, 27 dispositum erat ut turbaret. Eodem modo XXIV 4, 9: id erat dispositum ut insissterent.

censeo: Acc. c. inf. passivi cum verbo necessitatis coniunctus legitur XIV 10, 14 quam (sc. pacem) tribui debere censeo XX 4, 6 XXIX 5, 22. Acc. c. inf. p. solus exstat: XXVII 9, 5 XXVIII 1, 32: si id ille fieri censuisset. XXXI 12, 6.

Acc. c. inf. activi XX 9, 6: Caesaris potestatem sufficere Juliano censebat XIX 7, 1 XXIV 8, 4.

statuo: Acc. c. inf. p. XIV 7, 5 disponi quidquam statuit XV 5, 12 XIX 2, 1 XXII 5, 2; 12, 8 XXV 10, 5 XXVI 3, 13 XXVIII 1, 11 XXXI 4, 8.

Acc. c. inf. activi XX 9, 4 Leonam ad Julianum pergere statuit.

„Statutum est" cum particula finali coniunctum exstat XXVI 2, 1 sub exitii damnatione stattuum est ne quisquam procederet. Sequentibus locis XXVIII 4, 4 statuerat, ne taberna ante horam quartam apperiretur" et XX 5, 7 verbum significat: „legem dare, lege statuere.

praestituo: Acc. c. inf. p. XIV 11, 9 sorte qua praestitutum erat, eum vita spoliari

instituo: Acc. c. inf. p XV, 5 18 omnium primus instituit adorari. Loco XXV 6, 14 flumina transmeare a primo pueritia sunt instituti" hoc verbum aliam vim habet.

decerno: Acc. c. inf. p XVI 5, 12 convictum relegari decrevit XIX 1, 6. — Acc. c. inf. activi XXIII 1, 4.

delibero XVII 13, 2 deliberatum est id lenius vindicari.

convenio XIV 6, 3 Roma ut augeretur, Virtus convenerat et Fortuna. — Sed XX 4, 3 Lupicinus conventus est solus proficisci.

5) Verba permittendi

concedo: Inf. XXXI 14, 4 rebus ipsis id apertius monstrare concedens XXX 8, 9. Loco XIX 1, 22 significat non concedere alicui aliquid facere, sed aliquid esse.

patior: Acc. inf. p. XVI 10 14 XIX 2, 1 XX 8, 16 XXIII 6, 5 XXV 4, 21; 7, 4 XXX 6, 2; 8, 9 XXXI 14, 6.

perpetior: Inf. XV 7, 4 XVI 2, 6; 12 13 XVII 3, 5; 4, 13 XXI 16, 1.

permitto: Maxime nom. c. inf. exstat. XIV 1, 3 nec loqui nec hiscere permissus. XIV 2, 6, 7, 15; 9 3 XV 2, 8; 3, 11; 5, 6 XVI 9, 1; 11, 6 XVII 10, 3, 9; 12, 9, 20 XVIII 6, 15 XXV 6, 5; 11, 6; 12, 12 XX 2, 5; 7, 7; 9, 9 XXII 7, 5 XXIII 6, 35 XXIV 2, 21; 4, 24 XXV 7, 11 XXVI 2, 2 XXVII 2, 3 XXVIII 1, 28; 5, 4, 7. XXIX 3, 4; 12, 17

Acc. c. inf. p.: XIV 6, 26 nihil vel serium agi Romae permittunt: XVII 9, 6 XIX 7, 8 XXI 9, 5; 13, 2; 16, 2 XXII 6, 3; 7, 8 XXIII 1, 14 XXIV 4, 24 XXV 1, 4; 4, 16. — Acc. c. inf. act. XVII 8, 5 abire permisit innocuos. XVIII 10, 3 XXIV 3, 10. Infinitivus solus persona omissa exstat: XVI 12, 16 Caesare nusquam elabi permittente XVI 12, 29 XVII 13, 22. — Accusativus Gerundii legitur XIV 6, 5 Caesaribus tanquam liberis suis regenda patrimonii iura permisit.— XXII 10, 3 denique „ut" legitur: permittebat ut fidenter . . . frenarent . . ." Sed haec verba a Gelenio adiecta esse videntur, sed non feliciter. Nam „ut" Ammiani usui huius verbi non respondet.

sino: Nom. c. inf. XXII 7, 10 intra terrarum genitalium terminos vivere sinerentur. XXXI 5, 7. Acc. c. inf. p. XVII, 3, 2 XIX 2, 14 XXIV 1, 4 — Acc. c. inf. activi XXII 15, 31 XXV 7, 6 XXX 9, 1. Sed etiam hic verba intransitiva secuntur.

relinquo XXXIII 6, 84 etiam vim sinendi habet: licet sinus lateraque dissuta relinquant flatibus agitari ventorum.

do: XIV 11, 26 gubernaculum dedit praetendere XVI 12 11. Similiter verbum perhibendi XXIII, 3, 7 usurpatum est: „carpentum Almonis undis ablui perhibetur." id est: „abluendum traditur."

6. Verba cupiendi.

Cupio: Acc. c. inf. p. XX, 8, 12 quae non tam fieri cupio quam a te probari. XXVIII 4, 21 XXIX 3, 6

opto: Acc, c. inf. p. XXII 15, 13 eum nemo extolli optavit XXV 3, 20.

7. Verba contendendi.

Certo XVIII 2, 7 certantibus per pontem transiri.

affecto XXVI 3, 5 spectari affectans. — Ne autem legitur XIV 1, 10 id affectans ne lateret.

laboro „ut“ solum invenitur XXX 4, 13 et 19

nitor XV 7, 10 auctoritate firmari nitebatur.

tento „ut“ XVI 9, 3 XX 11 2 „audiebat eum tentatum a rege ut stringeretur.“ Sed hic verbum habet vim permovendi.

insto „ut“ XIV 5, 8 XXVIII 4, 16.

Adice his: Id ago XXI 16, 11; id agito XXIX 4, 12; id potissimum eligo XIX 6, 5 XXI 13, 7: quae coniunctiones semper „ut“ sequitur.

8. Verba accelerandi.

XVIII 2, 19 legitur: id maxime festinatum est ut captivos restituerent.

9. Verba curandi et providendi.

Curo: Acc. c. inf. p. XIV 6, 8 eas (sc. statuas) auro curant imbracteari. XV 5, 4 XXIV 6, 1 XXVIII 4, 25 XXXI 15, 8. „Ne“ legitur XXI 4, 6 XXII 7, 7.

provideo: Acc. c. inf. p. XXVI 6, 2: provideret se ipse nuncupari Imperatorem XXVIII 1, 53; 6, 8. — „ut“ vel „ne“: XVI 3, 3; 4, 4 XXIV 4, 2.

praevideo: „Ne“ XXI 8, 3; prospecto „ne“ XXIV 1, 2.

prospicio: Coniunctivus solus exstat XXX 10, 4 altiore cura prospectum Valentinianus vocaretur in Imperium cooptandus.

excogitatum est: „Ut“ XIV 1, 6; 6, 23 XVIII 6, 15.

consulto: „Ne“ XXI 13 1.

observo: Ubique „ut“ vel „ne“ sequitur, maxime pronomine „id“ aut adverbio „caute,“ „enixe“ praemissis: XIV 1, 6 XV 5, 26 XVI 5, 15; 12, 56 XVII 7, 10 XVIII 1, 1; 2, 14 XX 9, 9 XXI 5, 8 XXIII 3, 5 XXVII 10, 6 Vim animadvertendi habet et accusativo c. inf. construitur: XVII 7, 11 XXXI 15 4.

praestruo: „Ut“ XVI 11, 3 XXXI 7, 6.

Haec verba traducunt ad ea quae negativam vim habent.

10. Verba prohibendi.

Interdico: „Ne“ legitur XVIII 4, 5.

veto: eodem modo construitur quo iubeo.

arceo: Nom. c. inf. XVI 11, 11 quo aedificato constabat adire Germanos arceri. — Acc. c. int. act. aut inf. simplex invenitur XXII 10, 7 arcebat docere magistros.

prohibeo: Nom. c. inf. XIX 9, 1 tendere prohibebantur XXII 9, 16 XXV 10, 3; XXXI 11, 3; 15, 4. Acc. c. inf. p. XXIV 6, 5 quod fieri prohibere tentarent. XXVIII 3, 6 XXIX 5, 10. — Acc. c. inf. activi infinitivo verbi intransitivi sequente: XIV 10, 9. XXIII 1, 7: libros discedere Imperatorem prohibuisse „Ne" legitur: XVI 12, 55 XVIII 2, 8 XXVII 5, 9 XXIX 1, 34.

vito: XXV 2, 7: vitandum esse ne quid tentaretur, id est „cavere ne quid fiat, vel prohibere."

terreo XXVII 7, 9 inimicos loqui terrent.

perterreo XIX 10, 1 introire portum perterrebant.

obsto quominus XXVI 4, 6.

resisto ne XXV 9, 8 reluctor ne XXV 10, 71.

caveo: XXII 6,5 qua cavetur nullum interpellari. — „Ne" autem XX 8, 14.

11. Verba efficiendi.

Facio: Acc. c. inf. p. XV 6 1 reos citari faceret multos. XXVII 7. 3. — Acc. c. inf. infinitivo intransitivi verbi sequente XXVIII 1, 35: introire fecit agmina carnificum.

„Ut" autem exstat XXVII 6, 9.

efficio: Acc. c, inf. p. XIX 4, 7 efficit in aridioribus locis agentes caloribus crebris interpellari. XIX 12, 5 XXIX 5, 13; 6, 5. — „Ut": XXII 15 25 Effectum est ut: XXV 8, 15 XXVI 1, 11. „Factum est" ubique „ut" sequitur.

adipiscor: Ubique „id" praemisso „ut" sequitur XXV 7, 11 XXVII 9, 8 XXVIII 5, 2.

assequor: Ubique „ut" invenitur XIV 1, 3 XV 8, 2

impetro: Acc. c. inf. p. XIV 1, 3 cum misceri sibi generum non impetraret. „Ut" exstat, maxime pronomine id antecedente: XVII 3, 6; 10, 5 XXVII 9, 10 XXVIII 1, 8.

IV. Verba impersonalia.

Coutingit: Acc. c. inf. p. XVIII 2, 14 ubi hostem contingeret inveniri XXVI 7, 7. Infinitivus solus subiecto omisso XXIX 5, 55. — „Ut" autem: XVI 5, 4 XXI 16, 3 XXV 7, 12.

evenit: XXII 9, 15 evenerat Adonia celebrari: „Ut": XV 5, 34 XX 11, 32 XXII 4, 9 XXIII 4, 3.

„fit" et „factum est" ubique particulam „ut" sibi asciscunt.

superest: solum „ut" legitur: XXI 13, 14 XXIII 5, 21

restat: XVIII 2, 5 restabat urbium moenia reparari — „Ut": XIV 11, 6 XV 8, 7 XXIII 6, 85 XXVI 7, 8.

licet: Maxime persona non adiecta est: XIV 6, 20 XV 1, 1 XVI 12, 57 XVII 5, 7 XX 8, 18 XXV 5, 3 XXVIII 4, 21 29 XXIX 1, 6 XXXI 13, 4. Acc. c. inf. p. XV 9, 1 quae licuit parari. XXI 13, 10. Acc. c. inf. activi XXII 14, 7 nec ultra trahere eum licet aetatem. — Dativus c. inf. XXIII 6, 80 nec famulo hiscere vel loqui licet XXIX 1, 6.

est: XXX 4, 8 At nunc videre est. XXXI, 8, 7.

vacat: XXIX 2, 3 ne vel coniugibus maritorum vacaret miserias flere, inmittebantur.

datur: Maxime „opinari dabatur": XIX 2, 13 XXIV 8, 5 XXVI 1, 7; 10, 16 XXVIII 6, 24 XXXI 13, 12; intellegi dabatur: XXI 14, 5 XXII 9, 11 XXVIII 2, 8 existimari dabatur: XVI 10, 11; aestimari dabatur XXX 5, 18.

convenit: Significat aut „necesse est" aut „decet." Accus. c. inf. p aut inf. simplex persona certa omissa exstant: XIV 6, 7, 14; 7, 12 XVI 12, 10 XVII 5, 5 XVIII 8, 2 XX 8, 16 XXI 4, 4; 6, 1; 16, 1 XXII 14, 7; 15, 3 28 XXIII 2, 1; 6, 32 XXVII 4, 1 XXVIII 6, 24 XXIX 2, 12 XXXI 14, 8. — Dativus c. inf. exstat: XXIX 2, 12 recte institutis ne cum inimicorum quidem incommodis in delicta ruere convenit.

XXVI 1, 1 „convenerat iam referre a notioribus pedem." Hoc loco significat „mihi proposui."

decet: Acc. c. Inf. activi: XVI 5, 12; XVII 5, 4 XVIII 5, 7 XXI 5, 2. — Acc. c. inf. p. XIV 7, 10, 12 XXIII 2, 1 nequaquam decere rem vindicari Romanam adventiciis adiumentis. — Persona certa omissa est: XIX 12 18 XX 8, 18 XXVI 1, 1 XXVII 2, 11.

congruit: XX 4, 18 non congruere aptari muliebri mundo.

praestat: id est melius est: XXVI 10, 13 quibus si pateretur natura vel denas animas profundere praestabat quam lateribus fodicatis omni culpa immunes luere poenas." Hic anacoluthon „quibus immunes" est notandum.

expedit: XXV 7, 10 Cum pugnari decies expediret. XXVIII 4, 17.

necesse est: XV 8, 13 XVII 7, 14; 11, 1 XX 8, 13; 11, 30 XXVIII 1, 15.

oportet: XIV 10, 10 XVI 12, 34 XVII 13, 31 XX 4 6; 8, 3 XXI 5, 6 XXIII 4, 7 XXV 2, 7 XXVI 2, 8; 4, 1; 9, 10 XXVII 5, 8 XXVIII 4, 26 XXIX 2, 18; 4, 29 XXX 8, 8.

placet: Acc. c. inf. p. XIV 6, 14 si digesto consilio id placuerit fieri: XIV 11, 1 XVII 13, 16 XX 11, 11 XXI 12, 17 XXVI 6, 3 XXVII 5, 9; 12, 18 XXIX 5, 1 XXX 6, 2 XXXI 10, 15.

Acc. c. inf. a: XX 1, 2 ire Lupicinum placuit. XXVI 1, 10 Subiectum omissum est: XV 8, 3 placuit Julianum ad imperium adsumere XVI 2, 9; 3, 1 XIX 2, 1 XX 4, 11 XVII 7, 16.

„Ut" solum XVIII 6, 3 legitur. — XIX 4, 5 vim sentiendi habet.

sedet: XVIII, 2, 1. Sedit multa et varia cogitanti id tentare XXVIII 5 9. Sedit consilia alia post alia probanti Burgundios excitari.

„Ut" exstat XV 2, 5; 5, 30: sederat ut Braccati sollicitarentur.

iuvat: XVIII 4, 5 iuvat veterem Domitianum laudare.

stat per aliquem quominus: XIX 10. 2 nec enim per eum steterat, quominus alimenta veherentur.

refert: XIV 9. 9 quae singula narrare non refert. XXII 15, 14 XXIII 6, 47 XXXI 2, 17.

sufficit: Acc. c. inf. p.: XVIII 1, 3 licet multa sint laudanda, tamen sufficit unum poni." Eodem modo ubique adhibitum est: XXI 1, 13 XXV 9 10 XXIII 6. 74 XXV 4, 7 XXVII 3, 7; 8, 5 XXVIII 2, 12 XXIX 2, 24; 3. 2 XXX 8, 4 XXXI 14, 3. Subiectum omissum est XVIII 1, 4 ecquis innocens esse poterit, si accusasse sufficit? XXII 10, 5; 15, 21 XXV 2, 5; 3, 20; 4, 13 XXVII 3, 15; 4, 2; 6, 13 XXIX 1, 33 XXXI 14, 8. -- Dativus persouae adiectus est XXIII 5, 19 mihi vovisse sufficit.

B. Substantiva cum verbis coniuncta quae infinitivus sequitur.

Consilium: XIX 7, 6: nobis consilium sedit scorpiones

opponi. — „Ut“ autem XXX 10, 2: consilio sedit ut Merobaudes acciretur.

sententia: XXIV 8, 5 Sedit sententia, ut Corduenam arriperemus. Item „sententia stetit ut“ XVIII 5, 5.

cupiditas: XXI 1, 6: incendebat eius cupiditatem incessere ultro Constantium.

facultas: XXIX 5, 37 dedit hostibus facultatem adminiculis augeri.

necessitas: XXVIII 1, 3 iniecere necessitatem clausis ut omnes congererent. — Item negotium dare ut XXX 2, 7; munus deferre ne XXV 3, 16 id erat officium ut XXVIII 3, 8.

Etiam verbum spei „ut“ sequitur: XXXI 8, 1: hac spe ut periret“; sed „ut“ pendet ex pronomine „hac.“

lex: XXIII 1, 7 lex sit defendere.

tempus est: XVII 7, 9 adesse tempus existimo pauca dicere.“ Item XXII 8. 1. „Ut exstat“ XV 5, 20: non id esse tempus ut controversa defensio causae susciperetur.“ Sed hic „ut“ pendet ex pronomine: „id“ nam significat: tempus huius generis ut.

pretium est operae: XXII 15, 28. Multa in illis tractibus pretium est operae maximum legere.

nefas est: XV 7, 9 nec visum hominem nec auditum damnare nefas ultimum exclamans. Item XVII 13, 1 XXX 4, 10.

opera diligens navabatur: Acc. c. inf. p.: XV 5, 19 diligens opera navabatur Silvanum exstingui. XXIX 5, 2. Particula finalis exstat XVI 10, 19 XXXI 4, 5 XXX 4, 1. Item: „impensior opera navabatur ut“ XXVII 10, 3.

His adici possunt complures alii loci, in quibus infinitivus subiecti locum tenet et praedicatum substantivo cum verbo substantivo coniuncto exprimitur.

XVI 12, 60: flagitium arbitrati post regem vivere. — XVII 13, 11 minus criminis aestimabant alienis viribus potius quam conscientiae suae iudicio vinci.

XXIV 7, 1 itum est in voluntatem quorundam, facinus audax et importunum esse noscentium id aggredi.

XXI 16, 12 virtutis erat potius iudicium magnae, imperio eundem Constantium sine cruore cessisse.

XXIII 6, 35 erat piaculum aras adire.

XXII 2, 5 somnio propius videbatur, adultum adhuc iuvenem — cuncta facilius occupasse XXX 8, 9 nec aliena non rapere laudis est.

Denique hic etiam „est" cum infinitivo coniunctum, significans „officium est," afferri potest. XXII 7, 5 non esse imperatorium, obliquis flecti indiciis.

XXIX 2, 18 boni esse moderatoris. restringere potestatem.

C. Infinitivus qui pendet ex adiectivis.

I. Adiectiva cum verbo substantivo coniuncta.

Arduum est XVII 13, 19 XXIX 1, 40.

arrogans est XVII 13, 33 ne sit arrogans dicere.

aequum est XX 5, 5 XXIX 3, 9 XXV 9, 7.

antiquissimum XXX 11, 13 antiquissimum omnium ratus eum iuvare XXIII 5, 15.

absonum et indecens est c. Inf. XVII 5, 13.

cautum XVIII 8, 4 nec fugam capessere nec congredi cautum existimantes XIX 6, 8 XXII 1, 3.

conveniens XXI 12, 4 conveniens visum est defensores allicere.

certum XXXI 13, 17. consentaneum est XVII 10, 9 XX 8, 14 XXII 9, 17 XXX 9, 1 XXXI 2, 12.

dignum est XXXI 9, 3 si dignum est dici XVII 11, 5 XXI 3, 5.

non dubium est XXI 13, 14 nec dubium ferrum impie praeparatum ad eorum interitum vertendum.

deforme est XXIX 2, 12 nihil sit tam deforme, quam ad ardua imperii supercilia etiam acerbitatem naturae adiungi gloriosum XX 4, 8 incongruum et absurdum XV 11, 16 indecorum et vile XVII 5, 9 intempestivum XIV 2, 17 rati in tempestivum anceps certamen.

iustum XXIII 6, 34 iustum est credi.

mirum est XIV 6. 26 XXVIII 3, 8.

novum XXIII 1, 1 videbatur novum adiunctum esse Augusto privatum.

obscurum et incertum est XXXI 4, 6.

opportunum XIV 6, 21 quae recensere puto nunc opportunum XXVIII 1, 30. XXX 7, 1.

optabile XVII 12, 19 obsequi defensoribus optabile quam servire suis mancipiis arbitrati.

periculosum XV 8, 1 periculosum existimabat, se in partem contrudere longe dimotam XXVI 6, 12.

perniciosum et irritum XXXI 10, 15.

perniciosum et indignum XXII 12, 3.

pulchrum XIV 6, 8. stultum XX 8, 14.

superfluum est XX 5, 4 reterere superfluum puto XXII 14, 1; XXIII 6, 62 XXVII 2, 11; 8, 4.

supervacuum XXVI 1, 13.

tempestivum est XV 9, 1 XXVIII 1, 43.

turpe XXV 4, 7.

tutissimum XXI 1, 3 tutissimum ratus inimicum se ex confesso monstrare ei. Similiter XXIV 6, 2.

usitatum XIV 2, 1. verum est XVI 5, 8.

vile XXXI 2, 20 incedere pedibus existimat vile.

Ut legitur: id visum est honestum et utile, ut Arbetio pergeret XV 4, 1.

Horum exemplorum allatorum multa eius modi sunt, ut adiectivum pendeat ex verbo sentiendi „esse“ omisso. Sed fortasse „esse“ hic non est supplendum, sed potius accusativus adiectivi simpliciter cum verbo sentiendi coniungendus est: deinde infinitivus sequens ex verbo et adiectivo quasi in unam notionem confusis pendet. „Esse“ enim omissum est his locis: XIX 11, 13 XXIII 5, 15 XVIII 8, 4 XXII 1, 3 XXI 2, 4 XIV 2, 17 XV 8, 1 XX 5, 4 XV 9, 1 XXI 4, 3 XXII 14, 1 XXIII 1, 1; 6, 62 XXIV 6, 2 XXVI 1, 13 XXVII 8, 4 XXXI 2, 20; 10, 15. Solum XX 4, 8 legitur: „gloriosum esse existimans iussa morte oppetere, quam ei provinciarum interitum assignari.“ Fortasse hic „esse“ adiunctum est, ut „gloriosum“ maiorem vim habeat. „Gloriosum“ enim hic vim comparativi habet, qui usus apud Ammianum saepe invenitur (conf. Vales. ad XXVI 4, 1.)

Discrimen, quod inter adiunctum et omissum „esse“ Reisig p. 788 facit, mihi subtilius quam verius esse videtur. In Ammiano quidem illud cognosci non potest. Sed utrum Ammianus omnibus hic locis „esse“ omiserit an accusativus ad-

iectivi simpliciter ex verbo pendeat, difficile est decernere. Illud enim eo probari videtur, quod fere sine ulla exceptione „esse“ omissum est. In contrariam autem partem opponi potest, „esse“ omnino apud nullum scriptorem tam saepe omissum esse quam apud Ammianum. Sic etiam apud adiectiva non ex verbis eius modi pendentia, quae infinitivus sequitur, „est“ omissum est: XIV 2, 1 XIX 6, 8 XXI 13, 14. Praecipue autem apud infinitivum futuri activi et perfecti passivi fere ubique, apud infinitivum gerundii persaepe „esse“ omissum est.

His adiungimus adverbia cum verbo substantivo coniuncta.

satis est XXVIII 4, 35 sit satis haec digessisse. — tantum abfuit XV 5, 36: tantum abfuit laudare industrie gesta, ut etiam scriberet; tantum aberat ut-cum exstat XV 3, 6 tantum aberat ut proderet quisquam visa nocturna, cum aegre homines dormisse sese faterentur.

paullo abfuit quin XXX 6, 7 nec multum abfuit quin XVIII 6, 11. Praeter hos duos locos in Ammiano uno solum loco particulo „quin“ exstat: XXII 8, 14: nulla celeritate eripi poterat, quin interiret.

Adiectiva cum verbo substantivo coniuncta, sed non neutro genere dicta traducunt ad adiectiva absolute posita: XXI 16, 17 erat adimere facilis, quae donabat.

II. Infinitivus qui pendet ex adiectivis absolute positis.

Avidus XXII 6, 1 maxime avidum multiplicatum reposcere XXVI 8, 14.

doctus XXIX 2, 2 ferarum occulta vestigia doctus observare.

facilis XVI 9, 2 flecti a veritate pecunia facilis XXXI 2, 11.

gnarus XXVIII 1, 7 eliciendi animulas noxias et praesagia sollicitare larvarum perquam gnarus.“ Hic igitur gerundio et infinitivo uno loco utitur.

praescius XXII 15, 30 adventare diluvium praescii.

promptus XXI 12, 22 promptum in certaminibus bellicoso iungi rectori. –

Omnino igitur dicendum est, Ammianum quidem loco

enunciationis finalis infinitivo libenter uti, sed non loco gerundii.

Participia, quae vi verbi neglecta adiectivis similia sunt, infinitivus saepius sequitur.

suetus: XIV 1, 2; 3, 2 XVII 1, 2; 12, 14 XVIII 2, 3; 7, 4 XIX 10, 2 XX 8, 11 XXI 1, 15 XXII 8, 8 XXIII 6, 87 XXIV 1, 10 XXVI 1, 7.

consuetus: XIV 3, 23 XXII 4, 10 XXIII 6, 53 XXV 1, 18 XXVII 7, 4 XXIX 2, 26.

assuetus, assuefactus: XIV 2, 13; 6, 15 XV 11, 18 XVII 10, 10 XX 4, 4 XXII 4, 3; 8. 14 XXIII 6, 84 XXIV 3, 11 XXV 3, 18; 10, 14 XXVII 4, 9; 8, 6 XXVIII 6, 1 XXIX 5, 41, 51 XXX 5, 14 XXXI 7, 16.

obstinatus: XXV 3, 10: mori, si tulisset fors, obstinatus.

paratus: XVII 13, 3 XIX 11, 6 XX 6, 2 XXI 15, 4 XXIV 2, 15.

Quasi appendicis loco duos locos adiungo in quibus infinitivus historicus exstat XVI 11, 9: opimitate praedarum onusti redire omnes incolumes.
XXIX 3, 7 mandare magistris equitum auditoribus Princeps ut . . . . . . pronuntiarent, pollicitus quod eum revocabit."

Etiam ex hac re intellegitur, quae sit ratio elocutionis Ammiani. Nam usus infinitivi historici apud latinos scriptores rerum gestarum tam saepe adhibitus naturae dictionis Ammiani, Graeci hominis, respondere non potuit. Itaque hunc usum ab Ammiano plane abiudicarem, cum tam raro exstet, si duobus locis facile mutari posset. „Exire" quidem facillime mendo librarii ex verbo: „exiere" ortum esse potest: apud Accursium re vera ita legitur. Sed verbum „mandare" facile mutari non potest. Fortasse nova editio ex collatione optimorum librorum orta quae exspectatur hanc rem ad certum rediget.



VITA.

Natus sum Hermannus Kallenberg Longosalissae, in oppido Thuringiae a. d. XIII Cal. Nov. anni MDCCCXLV patre Henrico et matre Guilelmina e gente „Frueh." Fidei addictus sum evangelicae. Tredecim annos natus scholam Portensem adii, quo loco praecipue Viri Ill. C. Petrus, C. Steinhartus, G. Corssenius me ad studia antiquitatis tractanda incitaverunt. His viris gratiam quam maximam habeo semperque habebo. Sexto anno peracto testimonio maturitatis ornatus Halas me contuli ibique per unum annum scholas Virorum Ill. Bernhardyi, Bergkii, Schalleri frequentavi. Tum Halis relictis Berolinum transmigravi, ubi fere per quinque semestria scholis Virorum Ill. Boeckhii, Mommsenii, Hauptii, Kirchhoffii, Muellenhoffii, Trendelenburgii, Huebneri, Bonitzii, Droysenii, Kiepertii, Geppertii interfui. Hic etiam societatem theodiscam a Viri Ill. Muellenhoffio moderatam fere per duo semestria frequentavi. Omnibus his viris optime de me meritis, imprimis Muellenhoffio, gratias ago.

THESES.

I. Drama satyricum Romani nunquam attigerunt.

II. Commentarii de bello Gallico a Caesare scripti sunt, ut ostenderetur, quomodo coactus esset iniussu populi bella gerere et terras in dicionem Romanam redigere.

III. In Taciti An. lib. XVI c. 30 loco verborum „pro claritate“ scribendum esse videtur „popularitate.“

IV. Codice Monacensi antiquissimus textus poematis Saxonici „Heliand“ continetur.

V. Textus latinus precium theodiscarum quae in Muellenhoffii mon. theod. N. 58 leguntur, ex theodisco ortus est.